Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JOH. MICH. LANGII D.
PHILOLOGIÆ
BARBARO-
GRÆCÆ
PARS PRIOR,

continens

I. *Meletema de Origine, Progeſſu & variis Fatis Linguæ Græcæ, tam veteris, quàm hodiernæ, ſive Vulgaris* ῥωμαϊκῆς:

II. *Grammaticæ Barbaro-Græcæ Synopſin: & tandem*

III. *Gloſſarii Barbaro-Græci Compendium.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBL. ROM. PROF. ... IHS

Proſtat NORIBERGÆ & ALTDORFI.
Typis & Impenſis JODOCI WILHELMI KOHLESII, Univerſ. Altdorf. Typogr.
A. O. R. CIƆ IƆ CCVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

AUCTOR.

EN Tibi, Lector æſtumatiſſime, *partem* quoque *priorem noſtræ Philologiæ Barbaro-Græcæ*, quam nuperis nundinis fueramus polliciti, quò plenius quoddam ſyſtema Barbaro-Græcum haberes. Invenies I. totius *Linguæ Græcæ Hiſtoriam* Synopticè recenſitam, quæ non debet neſciri ab eo, qui huic linguæ operam navare decrevit. II. Reperies Synopſin quandam *Præceptorum Grammaticorum*, quibus *Linguam Græcorum Vulgarem* commodiore, quàm *Simon Portius* aliique hactenus feciſſe videri poterant, methodo tradere anniſi fuimus. Nec enim alium numerum declinationum & conjugationum vel alios earundem characteres, atque in Veteri Grammatica Græca jam uſu recepimus, conſtituere eſt neceſſe, niſi Grammaticam Neo-Græcam dare velis, & imperfectam, & quæ plus crucis diſcentibus figat, quàm ipſi Textus Neo-Græci Lectoribus veteris linguæ notitiâ tin-

ctis adferre ſolent. III. Compendium quoque *Lexici* cujusdam, ſive (ut maluimus appellare) *Gloſſarii Barbaro-Græci*, hac in parte priore noſtræ Philologiæ Barbaro-Græcæ deprehendes. *Gloſſarium* diximus ad imitationem ſummorum in his literis virorum, qui Scriptores mediæ & infimæ Græcitatis, ratione vocum obſcuriorum minusque in Græcia veteri probatarum ſibi ſumpſerunt illuſtrandos. Hactenus enim nobis in hiſce terris non tam cum vivis Græcis, quàm cum Scriptoribus quibusdam agendum fuit: quem in finem potiſſimum Gloſſaria varia (unde & noſtra hauſimus) adornata videntur. Parum igitur nos movebit objectio, quòd non omnia vocabula hodienum ſint ubique inter natos Græcos obvia & vulgari uſu trita: Sufficit, quòd in Scriptoribus Græcis inveniatur. Certè in noſtra quoque Germanica lingua, imo in ipſis Bibliis noſtris Germanicis, aliquot vocabula Germanica exſtant, quorum uſus deſiit ſaltem in noſtris terris: nec tamen culpandi fuerint Lexicographi Germanici, qui illorum evolutioni vacant; etſi nemini Germanorum in uſu quotidiano illas voces antiquatas commendemus. Ut ergo nati Græci, pro uſu linguæ vulgaris quotidiano, novum componant Lexicon Neo-Græcum, quo in linguæ vulgaris exercitio uti poſſimus, ſummopere optandum eſt. Tu, Lector colende, interea his qualibuscunque utere, & noſtro conatui fave. Dat. ex muſeo, pridie Calend. Septembr. 1707.

MELE

Digitized by Google

MELETEMA

De

Origine, Progreſſu & variis Fatis Linguæ Græcæ, tam veteris, quàm hodiernæ ſive Vulgaris, quàm vulgò Barbaro - Græcam noſtrates dicunt.

§. I.

ILLUSTRE, cùm viveret, Reipubl. patriæ decus, GEOR. PHIL. HARSDORFERUS, origines Germanorum evoluturus, in *Specim. Philolog. Diſquiſ. III. §. 1. p. 35.* ex re & vero ſcripſit: „*Hebræorum Proverbium eſt*: Porta itineris longiſſimum. *Hoc* „ *alio ſenſu antiquitatem ſcrutantes imprimis compertum habent.* „ *Terminum enim à quo (præter illum, quem in Sacris habemus) ob-* „ *livio & ſilentium involvit; ſilentium antiquitatis fabulæ excepe-* „ *runt; fabulis tandem ſucceſſerunt Majorum traditiones & ſcripta.* „

§. II. Originem Græcorum & Linguæ, qua ipſi primitus fuerunt uſi, evoluturis veritas dicti Harsdorferiani facilè pateſcet. Cùm enim, quæ in Sacris de Græcorum Veterum ortu leguntur, adeo pauca ſint, ut nonniſi per interpretum conjecturas conſtet, eſſe hanc rem à MOSE, *Geneſ. X, v. 2, 3, 4, 5.* tactam; in Profanorum monumentis verò, præter obſcuram incertamque famam, vix quicquam inveneris, quod ultimam Græcorum originem illuſtret: quis dubitet dicere, *Terminum à quo, oblivione & ſilentio involvi.* Audiamus tamen, quid conjectanea doctorum virorum non temeraria de Græcorum originibus tradant.

§. III. MOSES *cit. loc.* Japhetho, filio Noachi, adſignat cum aliis filiis, quendam JAVAN dictum, & tandem addit: *ab iſtis ſepara-*

Digitized by Google

„*ſeparatæ ſunt inſulæ Gentium in terris ſuis, ſingulæ ad linguam* „*ſuam, ad familias ſuas in ſuis gentibus.* Volunt interpretes vulgò, hunc, qui יָוָן *Javan* dicitur à MOSE, eſſe primum Nationis Græcæ conditorem; & ab hoc prodiiſſe illos, qui poſtea fuerint ἕλληνες nuncupati. Et ſanè hoc caret dubio, in Scripturis divinis, Græcos, & eorundem terram, nomine יָוָן (*Javan*) venire. Vaticinium DANIELIS, *Cap. IIX. v. 21.* ubi Monarchia Græca deſcribitur, & primus in illa Monarchia Rex, *Alexander Magnus*, eleganter depingitur, hunc apertè nuncupat מֶלֶךְ יָוָן *Regem Javan*, quæ vocabula INTERPRETES LXX. tranſtulerunt, βασιλεὺς ἑλλήνων. Iisdem Interpretibus (qui ſanè auctoritate non contemnenda gaudent) ſolenne eſt, vocem Ebræorum JAVAN, nunc per ἑλλὰς, nunc per ἕλληνες exponere. Verbi gratia, JOEL *Cap. III. v. 11.* (ut vulgatior Textus Ebr. diviſio habet) exprobrat hoſtibus Judæorum truculentioribus, quòd filios Judæ & filios Hieruſchalaim vendiderint לִבְנֵי הַיְּוָנִים *filiis Jevanim*, ubi tutò poſuerunt Septuaginta, τοῖς υἱοῖς τῶν ἑλλήνων, *filiis Græcorum.* Confer ad hunc Joëlis textum, Virum Eruditiſſimum, EDVARDUM POCOCKIUM *in Commentario*, ex Sermone Anglico, Latinè facto, *Lipſiæ 1695. pag. 301.* Quod ſi loco Joëlis junxerimus textum EZECHIELIS, *Cap. XXVII. v. 13,* videbimus, pro Ebræo יָוָן in Græca verſione legi, ἡ ἑλλὰς σύμπασα, *Græcia univerſa.* Alia loca, v. gr. *Eſaiæ LXVI. 19. Daniel. X. v. 20. XI. v. 2. Zachar. IX. v. 13. &c.* nunc prætermittemus. Neque hæc mens eſt ſolorum LXX. Interpretum, De CHALDÆORUM & JUDÆORUM ſententia videatur JOH. BUXTORF. in *Lexic. Chaldaico-Talmud. colum. 941.* De ARABIBUS autem refert JAC. GOLIUS in *Lexic. Arabico-Latino colum. 2774.* quòd ipſis Gens Græcorum antiqua, h. e. *Græci ante tempora CONSTANTINI MAGNI viventes, appellentur* يونان *(Junâno) ab Hebr.* יון, *cùm qui poſt Conſtantini tempora fuére, potius* الروم „*(Arrûmo)* h. e. *Romani, fuerint dicti, tanquam Imperio Romano ſub-*

ſubditi, aut quòd apud ſe haberent ejuſdem Imperii ſedem. Plura" hanc in rem idem vir Arabicè doctiſſimus diſſeruit in ſuis *Notis*, quibus Scriptoris cujusdam Arabis non incelebris, ALFERGANI, *Elementa Aſtronomica, Amſtelodami Anno 1669. Arabicè & Latinè* edita illuſtravit, *pag. 16.*

§. IV. Quod ſi profanos Hiſtoricos Græcos de ſuæ Gentis originibus ultimis conſulueris, conditorem Græcorum audies adduci HELLENEM quendam, DEUCALIONIS & PYRRHÆ filium. STRABO, *Geogr. lib. IX.* (edit. Baſileenſ. Anno 1549.) *pag. 416.* poſtquam varias de Hellade ſententias adduxiſſet, Deucalionem, Hellenis Patrem, Phthiotidos Regem & ſimpliciter Theſſaliæ Principem conſtituit, ſcribens: Ἱστορεῖται ὁ Δευκαλίων τῆς Φθιώτιδος" ἄρξαι καὶ ἁπλῶς τῆς Θετταλίας, h. e. *Narratur, Deucalionem" Phthiotidos regnum tenuiſſe, & ſimpliciter Theſſaliæ.* Ejus monumentum Athenis olim oſtendebatur, ut idem refert *Strabo, cit. edit. pag. 409.* Ἐν τῷ Κύνῳ Δευκαλίωνα φασὶν οἰκῆσαι, καὶ τῆς πύῤῥας αὐ-" τόθι δείκνυσθαι σῆμα, τοῦ δὲ Δευκαλίωνος Ἀθήνῃσι, h. e. *Deucalion Cynum," ut ajunt, habitabat, ubi & Pyrrhæ monumentum oſtenditur, Deu-" calionis autem Athenis.* Pyrrhæ & Deucalioni filius tribuitur Ἕλλην" ſive HELLEN, à quo Hellenes ſive Græci, & ipſa Græcia ſive Hellas, nomen accepiſſe traduntur à *Strabone ſub finem libri noni pag. 427.* quem in libro citato videas varia diſputantem de antiquis Græciæ populis, obſcurisque de eorundem diviſionibus & cognominibus, quæ excudere noſtri penſi non eſt. Hoc adhuc addere placet, doctum Scriptorem Græcum, JOH. GRAMMATICUM, qui aliàs PHILOPONI nomine celebris eſt, in ſcriptis *de Arte*, (ex quibus varia Græco-Latine attexta leguntur *Lexico Græco, Baſileæ apud Valentinum Curionem Anno 1538.* edito, *Columm. 7.*) Hellenem illum, cui Græci nomen debere creduntur, JOVIS fuiſſe filium, cognomento Deucalionis, à cujus filiis deinde dialecti Græcæ ſint ſpecialia quædam nomina ſortitæ. Ipſa verba dicti Scriptoris hæc ſunt: Ἑλληνικὰς διαλέκτους συνέβη καλεῖσθαι ὡς Ἕλληνος, τοῦ Διὸς μὲν υἱοῦ, κατ' ἐπίκλη-" σιν δὲ Δευκαλίωνος, τοὺς κατὰ τὴν Ἑλλάδα τόπους κατεσχηκότας πάσας μὲν"

συνέβη

"συνέβη λέγεσθαι ἑλληνικὰς φωνὰς, καθ' εἶδος δὲ τὰς προσωνυμίας ἀπὸ τῶν ἐκείνε
" παίδων λαβεῖν. Διασπαρέντων γὰρ τούτων εἰς πλείονας τόπους καὶ τὴν αὐτὴν
"φωνὴν οὐκ ἔτι φυλαξάντων, ἀλλὰ τῇ τῶν τόπων μεταβολῇ ἅμα καὶ τὴν φωνὴν
"μεταβαλλόντων, συνέβη διαλέκτους λέγεσθαι. h. e. *Hellenicas dialectos con-*
"*tigit appellari, quòd, cùm Hellen, Jovis quidem filius, cognomento*
"*autem Deucalionis, loca per Græciam occupaſſet, omnes quidem con-*
"*tigit dici Hellenicas voces; ſpecialiter autem denominationes ab*
"*illius filiis accepiſſe. Diſperſis enim his in plura loca, atque eandem*
"*vocem non amplius ſervantibus, ſed unà cum locorum mutatione,*
"*vocem quoque mutantibus, accidit dialectos dici.*

§. V. Ipſa dialectorum Græciæ populorum diviſio vulgò quadruplex perhibetur, *Attica*, *Æolica*, *Dorica*, *Jonica*, ſic tamen ut primò nonniſi duo rami innoteſcerent, *Jonica*, nempe & *Dorica* lingua, ex quibus deinde lapſu temporis, quaternarius numerus ſurrexit. Nimirum primitus Atticus & Jonicus ſermo non differebant. Sic enim **Strabo** *cit. loc. libr. IIX. p. 320.* "Τὴν Ἰάδα τῇ πα-
"λαιᾷ ἀτθίδι τὴν αὐτὴν φαμέν. καὶ γὰρ Ἴωνες ἐκαλοῦντο οἱ τότε ἀττικοί. h. e.
"*Jonicam eandem, quam priſcam illam Atticam aſſerimus: Ejus*
"*enim ætatis Attici Jones vocabantur.* Similiter *Dorica* & *Æolica*, quondam ad idem recidebant, ut idem Strabo *ibid.* monet.

§. VI. Placet, antequam in plura nos conferamus, laudare Virum Doctiſſimum & in Græcia veteri verſatiſſimum, B. BALTHAS. STOLBERGIUM, Profeſſorem Wittebergenſem, cùm viveret, longè celeberrimum, cujus Tractatus manuſcriptus de ***Lingua Helleniſtica*** in noſtris manibus hæret: ubi quidem Caput primum, quod *de Græcarum Dialectorum Origine & Numero* inſcribitur, ita comparatum videtur, ut ex eo pluſcula huc transferenda veniant, maximè cùm (quantum nobis conſtat) hoc elegans beati viri opus ἀνέκδοτον hactenus delituerit; dignum aliàs quod ederetur & integrum orbi docto ſiſteretur. Servabimus per aliquot paragraphos integra beati viri verba. Ea enim fides debetur viris doctis, qui bene de re literaria meruerunt, ut etiam quæ publici juris facta non ſunt, ſuis tamen auctoribus integra adſerantur, & citra interpolationem vindicentur.

§. VII.

§. VII. Ita vero laudatus *Stolbergius* : 1. *Una olim Græ-*“
corum lingua fuit, quæ in Theſſalia & Macedonia initium accepit“
& originem. Nam qui Theſſaliæ partem φθιῶτιν, *incolebant,*“
ἕλληνες *primum dicebantur ab HELLENE, Deucalionis, ſeu, ut alii*“
volunt, Phthit, filio, Theſſaliæ Rege. Conf. STRABO-libr. IX.“
Geograph. Ibi quoque ἑλλὰς *urbs & regio vocata, cùm adhuc nulla*“
alibi cognoſceretur ἑλλάς. *Nam & HOMERI ætate longè poſt Tro-*“
jana tempora, nulli alii vocabantur ἕλληνες, *quam qui Theſſaliam*“
incolebant, unde cùm Achillis exercitum (qui è Phthia Theſſaliæ“
venerat, Iliad. 1. *v.* 439.) *deſcribit, peculiariter* ἕλληνες *nomi-*“
nat, & Phthiam atque ἑλλάδα *conjungit,* Iliad. B. *v.* 683. *Conf.*“
Euſtath. ad h. l.

2. *Idem teſtatur DICÆARCHUS, doctiſſimus Græciæ Autor*“
in illo libro, cui titulum fecerat, Βίος ἑλλάδος *ſeu* Vita Græciæ,“
quô de exigua hodie reſtant fragmenta. Diſputat eò loci contra“
eos, qui negabant, Theſſaliam eſſe Græciæ: Quomodo enim, ait,“
Græcia non eſſet ſive ἑλλάδος, *cùm antiquitùs* ἑλλὰς *ſic propriè dicta*“
in Theſſalia ſita foret, & ἕλληνες *dicerentur Theſſaliæ populi, an-*“
tequam nomen hoc communicaretur cæteris Græciæ ita poſtea ap-“
pellatæ populis?

3. *Nimirum Athenienſes urbem ſuam & linguam propriè*“
ἑλληνικὴν *dici debere contendebant. Hinc Oratores Attici* Philip-“
pum, Alexandri Magni Patrem Macedoniæ Regem *contu-*“
melioſè appellabunt Theſſalum, perditum Macedonem, *ac non*“
modò Barbarum, *ſed nec inter ipſos Barbaros honeſto loco natum.*“
Mira rerum viciſſitudo! Qui Græciæ dederunt, unde appellaretur,“
& quod loqueretur, h. e. Nomen, Incolas, & Linguam; ipſi poſtea“
indigni viſi ſunt, qui Græci ſive ἕλληνες *nominaretur. Sed defen-*“
dit eos POSIDIPPUS, Comicus, qui contendit, æquè τὸ ἑλληνίζειν *ad*“
illos pertinere, ac τὸ ἀττικίζειν, *Atticorum proprium ſit.*

4. *Horum in Theſſalia* Ἑλλήνων *propria & peculiaris fuit dia-*“
lectus ἑλληνικὴ, *qua qui utebantur,* ἑλληνίζειν *dicti ſunt Dicæ-*“
archo. Hæc antiquiſſima & prima Græciæ lingua eſt, qua vetu-“

 ſtiſſimi

„ſtiſſimi quoque Scriptores, cùm Pedeſtres, tum Poëtæ uſi ſunt, „ORPHEUS, MUSÆUS, PHERECYDES, atque HELLANICUS, ſe„cundùm Salmaſium. Hi enim neque Attice dicuntur ſcripſiſſe, ne„que Jonicè, neque Doricè, neque Æolicè. Scripſerunt ergo ἑλλη„νικῶς ſeu ἑλληνιστί. PHERECYDIS teſtimonia nonnulla citat CLE„MENS ALEXANDRINUS & APOLLONII Scholiaſtes, quæ paucis „exceptis, quibus ἰονίζειν videtur, ex communi dialecto characte„rem præferunt.

5. Hæc Lingua fons eſt & principium atque Mater omnium „aliarum Græciæ dialectorum. Hellenis enim filii Colonias è Theſſa„lia in omnes Græciæ regiones duxerunt, quibus & nomen poſtmo„dum & lingua ΕΛΛΗΝΩΝ hæſit. Nam quæ ſic deinde appellata „eſt Græcia, à Barbaris habitabatur; ante Hellenum Theſſalorum „adventum, qui illos Græcis & moribus & lingua erudierunt.

6. „Quemadmodum verò contingit, ut plantæ in ſolo ſatæ „alieno degenerent & aliam induant formam, guſtumque vel „odorem diverſum referant ex mutato terræ genio. Sic quoque „Hellenes illi per μετοικεσίας ſive commigrationes & Barbarorum „admixtionem ſonum atque formam nativi ſibi ſermonis in pluri„bus, temporis lapſu, mutaverunt ac perverterunt.

7. Egreſſi autem primò è Theſſalia in Græciam deinde dictam „ſunt XUTHUS atque DORUS, filii Hellenis, Theſſaliæ Regis. Ter„tius verò natu, ÆOLUS in Theſſalia manſit, diuque ibi impe„ravit, à quo dicti ſunt Æoles. Poſtea tamen & hi ab Endymione „in Peloponneſum traducti ſunt. Factum inde eſt, ut Hellenes illi „Theſſaliæ, & Peloponneſum & cæteras extra Iſthmum Græciæ „provincias occuparent.

8. „Ab his Lingua Græca initio in duos quaſi ramos diducta „duas peperit dialectos. Jonicam atque Doricam, illa à JONE, „Xuthi filio, qui in Attica conſedit cum ſuis: hæc à DORO, qui loca „circa Parnaſſum & in Peloponneſo occupavit, nomen accepit. „Primis enim temporibus eadem fuit Attica & Jonica dialectus, „teſte Strabone Libr. IIX. Terra quoque Attica appellata initio Jonica

*Jonica eſt. Hanc occupavit Xuthus, & in ea quatuor condidit,,
urbes.,,*

*9. Poſtquam autem horum aliqua pars, Duce Neleo ex"
Attica in Aſiam minorem conceſſit, easque regiones cum coloniis"
ſuis, quas Chares ante & Leleches incolebant, occupavit, lingua"
eorum ſonus, cùm ſolo mutatus eſt. Condiderunt autem Coloniæ"
illæ civitates XII. in Aſia, quæ deinde* Joniæ *regionis appellatione"
continebantur. Hinc duplex dialectus facta eſt, & illorum quidem"
qui in Aſiam conceſſerunt,* Jonica; *qui in Europa & Attica man-"
ſerunt,* Attica *dicta eſt."*

10. Tunc Jones *pro* ἑαυτὸς *dixerunt* ἑωυτὸς, *pro* τραῦμα,"
τρῶμα, *pro Genitivo* πηλέιδȣ, πηληίδεω, θωυμαςὸν, *pro* θαυμαςὸν,"
κρadιη *pro* καρδία, δεσπότεα *pro* δεσπότῃ, *& alia infinita, quæ"
barbariem olent, quæque à Charibus & Lelechibus, inter quos"
permixti degebant, acceperunt. Nam &* ἀπ' ἧς *dixerunt pro"*
ἀφ' ἧς, ἀπαιρέεσθαι ἀφαιρέεσθαι, *quod barbaricum eſt. Ita enim"
Scytha apud Ariſtophanem introducitur, pronuncians,* πυλάξαι,"
pro φυλάξαι: παίνεται, pro φαίνεται: κεταλή pro κεφαλή: *Nihil hujus"
apud Atticos, nec in priſca lingua uſitatum."*

11. Eadem ratione Æolica *&* Dorica *dialectus, quæ"
eadem primò fuit, teſte* Strab. *c. l. gemina facta eſt ac diverſa."
Unà enim Æoles & Dores habitabant initio in Peloponneſo. De-"
inde verò Æolii in Aſiam commigrarunt, ibique regiones Myſiam"
& Troada ſive Phrygiam occuparunt, multasque ad Helleſpontum"
condiderunt urbes, & in inſula Leſbo. Sed ita puritatem Sermo-"
nis corruperunt ex Barbarorum illius loci mixtione, ut tunc pro"*
θυγάτηρ pronunciare cœperint θυγάτηρ, λιγυρὸς, pro λιγυρὸς, βρόδον pro"
ῥόδον, ὄππατα pro ὄμματα, ὄνω pro ἄνω, σπάδιον pro σάδιον, πέρραμος"
pro πρίαμος *& alia quam plurima, quæ Æolicam non modò à"
Dorica, ſed etiam à matre Hellenica & reliquis dialectis diver-"
ſam conſtituerunt. Nam & proſodiam planè contrariam inſtitue-"
runt reliquis dialectis; in quo genere barbarica & extranea"
pronunciatio maximè ſolet diſcerni. Æoles in nominibus triſyllabis"*

 ex

Digitized by Google

,,*ex ultima accentum in antepenultimam ; in diſſyllabis ex ultima*
,,*in penultimam retrahebant , exceptis tantùm præpoſitionibus &*
,,*conjunctionibus , v. gr.* βάσιλευς , πώταμος , κάλος , ὄξυς *&c.*

12. ,,*Nec tamen & illi Hellenes , qui in Europa & Græcia*
,,*manſerunt , eundem ſemper ſonum atque formam nativi ſui ſer-*
,,*monis retinuerunt. Cùm enim Attica , antequam Hellenes ſive*
,,*Græci ex Theſſalia in eam adveniſſent , habitaretur à Barbaris,*
,,*Græci illi à converſatione , quasdam traxére proprietates in lingua,*
,,*quibus effectum , ut* Attica *dialectus diverſa , & à matre Hel-*
,,*lenica & reliquis etiam exiret. Nam ξ pro σ in multis poſuerunt*
,,*Attici ; cujus ſonus* βαρβαρικώτερος , *quàm literæ* σ. *Hinc* ξυμβάλλω , ξύμ-
,,βολον &c. pro σύμβάλλω , σύμβολον : item τ pro σ τεῦλον pro σεῦτλον,
,,γλῶττα pro γλῶσσα &c. λ pro ν λίτρον pro νίτρον , ἀλάβαστρον pro ἀνάβαστρον.
,,*Multaque alia habent idiomata , quæ apud Grammaticos videri*
,,*poſſunt.*

13. ,,*Certum verò & hoc , quod Lingua Græca primigenia*
,,*minus degeneraverit in Attica , ab antiquo ſono & forma , quàm*
,,*in reliquis tribus. Etiam vetus Attica propius accedebat ad Hel-*
,,*lenicam , quàm recentior ſub Oratoribus , qui Athenienſium Rem-*
,,*publ. moderabantur.*

14. ,,Dores *pariter ac cæteri patriam linguam , in quam*
,,*plurimis mutaverunt , adeo ut dialectus horum longius diſſideat*
,,*ab Hellenica , ſono vocis & ſermonis forma , quàm quævis alia ex*
,,*reliquis. Hoc accidiſſe ipſis videtur à Cadmæis Phœnicibus. Cad-*
,,*mus enim primus è Phœnicia in Græciam attulit literas majuſcu-*
,,*las , non minuſculas , quæ ad celeritatem ſcriptionis ſunt inventæ,*
,,*venitque in Bœotiam , cui vicina Doris atque Phocis. Hic procul*
,,*dubio cum literis* πλατειασμὸν *Syriacum , & pronunciationem lato*
,,*oris hiatu faciendam invexit in ſermonem Græcorum illius loci.*
,,*Hoc vitium apud ipſum THEOCRITUM mulieribus Syracuſanis*
,,*objicitur ab hoſpite , Idyll. XV. v. 88. ideo quoque ab ARISTO-*
,,*PHANE non rarò exagitantur Dores in Comœdiis. Frequentiſſimè*
,,*uſurpabant in vocibus ſuis* τὸ α. *Hinc dixere* αἶκα *pro* εἶκε , τόκα

pro

pro τότε , ὄκα pro ὅτε , σελάνα pro σελήνη , ἄβα pro ἥβη , μωσᾶν "pro μυσῶν , aliaque innumera , nam & ἀκκὰρ pro ἀσκὸς , πολρ pro "παῖς &c. poſuerunt.

*15. Ita demum IV. prodierunt dialecti ex una matrice Helle-"nica non parùm inter ſe & à matre diverſæ ac differentes , **Attica** "**Jonica , Dorica** , & **Æolica.** Totidem STRABO numerat libro "IIX. Geograph. quot nempe nationes olim in Græcia. Poſtea quidem "plures exſtiterunt gentes ; plures tamen dialecti non numerantur, "quia una dialecto plures populi uſi ſunt. Totidem quoque recenſet "PLUTARCHUS in Tractat. de Dialect. Homer. & APPOLLONIUS "DYSCOLUS , qui de Dialectis ſcripſit ſub Marco Antonino , Imp. "Proinde omnes Græciæ Gentes revocari poſſunt ad quatuor ſumma "genera & appellationes : vel enim **Attici** ſunt , vel **Jones** , vel **Do-**"**res** , vel **Æoles.** Multi fuerunt Æolici generis , plures Dorici &c."*

§. VIII. Hæc voluimus dare ex laudati Stolbergii Tractatu de Lingua Helleniſtica ; unde ſatis conſtare poterit de Linguæ Græcæ Origine & propagatione per quatuor dialectos cardinales: quanquam ulterius ſit obſervandum , (1) quòd ipſarum harum dialectorum non eadem ſemper manſerit facies , ſed pro temporum tractu varias mutationes ſubierint. (2) quòd ſingulæ ſub ſe ſuas habuerint τοπικὰς ſeu ſpecialiores dialectos, quales erant *Bœotica, Cretica , Laconica , Cyprica , Cilica* & ſimiles plurimæ , ad quas nunc digredi non libet.

§. IX. Hoc tantummodo ratione Conditorum gentis adhuc adjicere placet , ſapere ingenium illorum ſententiam, qui credunt, cum *LAURENTIO INGEWALDO ELINGIO , quondam in Regia Upſalienſi Acad. Prof. Ordinario* , *Hiſtoriæ Græcæ Linguæ pag. 35.* duplicem fuiſſe *Jonem* , unum antiquiorem , quem propter ſacrarum literarum ignorantiam neſciverint Græci Scriptores; & alterum recentiorem , qui fuerit filius Xuthi , Hellenis nepos , & pronepos Deucalionis : maximè ſi cum JOH. GRAMMATICO (cujus verba ſuperius §. IV. jam dedimus) Hellenem , Græcorum Conditorem habueris pro filio *Jovis* , cognomento Deucalionis ; ita enim in

)( )(3 fabula

Digitized by Google

ſabula umbram hiſtoriæ Sacræ forſan inveneris, ex mixtione hiſtoriarum NOACHI, JAPHETI & JAVANIS ſive JONIS primi, qui Hellenis Pater non incommodè habebitur, Joh. Grammatico, JOVIS nomine celebratus. Sed hac de re videant, quibus ad hæc inveſtiganda, plus otii atque nobis obtingit. Sanè JANI, JAPETI, & ſimilia ex fabulis non ignota nomina ſuſpicionem pariunt obſcuræ alicujus famæ, quæ ex veritate hiſtoriarum veterum, inter Gentiles utcunque hæſerit.

§. X. Nos ad Linguæ Græcæ hiſtoriam redibimus. Quemadmodum hactenus vidimus, ex antiqua Theſſalorum & Phthiotidis lingua *Hellenica* prodiiſſe quatuor Generales dialectos, *Atticam, Jonicam, Doricam* & *Æolicam*; ita notiſſimum eſt, alios quosdam Grammaticos Græcos nominaſſe dialectum quintam, *Communem*, quam tamen vix ipſi, qui illam adjecerant, ſatis aſſecuti videntur. Comparant hanc linguam τετραφαρμάκῳ ſive medicamento ex quatuor ſpeciebus mixto, cui nihil ſit proprii, ſed virtus omnibus ſpeciebus communis. Enim vero non malè B. STOLBERGIUS dixit: *Falſam eſſe illam cum tetrapharmaco comparationem: ſiquidem hoc ita componatur ex quatuor ſimplicibus pharmacis, ut quamvis illa commixta in unum ſint confuſa, omnia tamen in eodem tetrapharmaco reperiantur, quod de communi dialecto dici nequeat.* Sanè enim nec Attica, nec Jonica, nec Dorica, nec Æolica proprietas deprehenditur in *Communi*, quam vocant, dialecto. Nam nec σσ in ττ, nec α in η, nec η in α &c. mutat. Non ergo eſt ex dialectis quatuor mixta.

§. XI. *Dicis*: Cùm tamen exſtet præter quatuor dialectos illas celebres, hæc communis lingua Græca: quid tandem iſta fuerit? *Reſpond.* Non eſſe eam dialectum propriè ſic dictam, ſed ipſum *Macedonicum Sermonem*, qui olim erat ἑλλήνων, antequam per varias migrationes illæ dialecti quatuor enaſcerentur. Etſi enim negari nequeat, antiquum ſermonem Græcum apud Macedonas & Theſſalos etiam nonnihil mutationis, accepiſſe, & aliquandiu fuiſſe vix dialectis ſpecialibus annumeratum, maximè cum Atticiſmus regnaret:

nihil-

nihilominus facies rerum eſt mutata, cùm PHILIPPI MACEDONIS, & ALEXANDRI MAGNI temporibus, ad ſupremum culmen & tertiæ Monarchiæ gloriam res Macedonicæ ſurgerent. His enim Græca lingua Macedonum, maximè ſi uſum vulgarem ſpectare velis, non modò quatuor dialectos illas celeberrimas obſcurare, ſed etiam alias linguas premere cœpit. Juvat audire locum SENECÆ Philoſophi inſignem, qui in *Conſolatione ad Helviam*, *Cap. VI.* ſcribit: "*Quid ſibi volunt in mediis Barbarorum regionibus Græcæ urbes? Quid inter Indos Perſasque MACEDONICUS ſermo?* Eundem hunc Macedonicum ſermonem ſine dubio præcipuè in animo habuit M. T. CICERO, in *Orat. pro Archia Poëta*: *Si quis,*" (ait) *minorem gloriæ fructum putat ex Græcis verſibus percipi, quàm*" *ex Latinis, vehementer errat; propterea quòd Græca leguntur*" *in omnibus ferè gentibus, Latina ſuis finibus, exiguis ſanè continentur.*" Tutior ergo & verior ratio, ob quam dialectus, quam communem vocant, nomen *Linguæ Communis* gerat, in eo quæritur, διότι ἐκ ταύτης ἄρχονται, ὡς ταύτης οὔσης πάσαι h. e. *quod ex hac incipiunt, tanquam ea ſubjecta omnes*: itemque ὅτι κοινῶς αὐτῇ πάντες χρῶνται, h. e. *quia communiter ea omnes utuntur*: quæ ſunt verba JOH. GRAMMATICI, *cit. loc.* Unde idem ibidem non malè addit, *remittendas eſſe, hanc quidem* (linguam communem) *ad Regulam*, *reliquas verò* (dialectos Græcorum) *ad proprietatem.*

§. XII. Hæc lingua Græcorum ampliſſima per omnes orbis cultioris partes ſuo tempore diffuſa, eſt illa *Communis Græcanica*, cui tamen, qui eloquentiæ magis dediti volebant videri, ſubinde quædam ex Atticiſmo miſcebant, qui (vel ipſis etiam Novi Teſtamenti Scriptoribus non invitis) ex hac lingua vulgari Græca paſſim elucet, ut, quòd Nomina Neutrius Generis cum verbo ſingulari conſtruunt, Genitivos ſecundæ contractarum Declinationum in εως formant &c. Nimirum Attica Dialectus ſemper cultiſſima credebatur, quam etiam viri Græcè docti præcipuè ſectabantur. Hinc illa Atticiſmi in Linguæ Communis vulgatioris Scri-

ptori-

ptoribus veſtigia paſſim enata videntur : non quidem acſi credendum ſit, ſtuduiſſe v. gr. N. T. Scriptores Atticiſmo, ſed quòd lingua vulgaris Græca, qua Apoſtoli uſi erant, jam tunc fuerit etiam nonnullis Atticiſmis tincta.

§. XIII. Patet hinc non modò (1) *cur in N. T. habeantur quidam Atticiſmi ?* Sed etiam (2) *undenam ſint variæ voces & phraſes, quas vetuſtioris linguæ Græcæ, & maximè Eloquentiæ Atticæ ſtudioſi, vix pro puris habuerint ?* Ex Latio & Ebræorum Syrorumque natione non poterat non eo tempore lingua Græca etiam paſſim aliquandiu Judæis uſitata, aliquid indolis attraxiſſe. Etſi enim non ſit opus, cum DANIELE HEINSIO, aliisque ipſi adſtipulantibus, celebre illud *Linguæ Hellenisticæ & Judæorum Helleniſtarum* commentum recoquere; temere tamen negari non debet, quòd vox linguæ Helleniſticæ poſſit admitti, "*ſi nihil aliud inferre debeat,* „*quàm phraſin Ebraiſmo largiter tinctam, adeoque à communi* „*Græca diſcrepantem*, prout loquitur B. D. AUGUSTUS PFEIFFERUS *in Crit. Sacra Cap. III. Sect. II. Quæſt. IX. (edit. 1688.) p. 56.* Sed fortè neque ſic ſatisfactum fuerit iis, qui cum Celeberrimo STOLBERGIO rem altius ad mentem revocant. Equidem hoc à tanto viro non negatur, quòd in N. T. inveniantur nonnulla vocabula peregrina, v. gr. Syriaca, Latina &c. fortè etiam quasdam phraſes Ebraiſmum redolentes ibidem reperiri concedit: iſtud verò negat ipſe pernegatque, quòd dictio in N. T. occurrens ſit alia, atque ipſa *Communis Græca ſive Hellenica*, etſi ex ſua amplitudine & ore tot peregrinarum nationum, nonnihil ſordium, in comparatione ad veterem linguam Græcam ſibi attraxerit : quales quidem mutationes paſſim linguis paulo amplioribus accidere ſolent. In ipſo patrio ſolo, etiamſi novæ Gentes non interceſſerint, linguæ ſuas mutationes experiuntur, ut quæ v. gr. noſtri Germani majores ante aliquot ſecula ſermone patrio condiderunt, nos eorum poſteri, ægrè legamus & interpretemur. Periculum facturus evolvat vel ſola illa, quæ vir, cùm viveret, Illuſtris, CHRISTIAN. HOFFMANN ab HOFFMANNSWALDAV in *Præfat. Operum ſuorum*

ex

Digitized by Google

ex veteribus Poëtis Germanis adfert. Quid igitur non acciderit linguæ Græcæ per tot gentium regiones volutæ ? Certè hoc rerum ſtatu vix potuiſſet tanta adhuc puritas eidem conſervari, quantam in N. T. ſimilibusque Scriptoribus, quos *Helleniſtas* nonnulli doctorum vocant, deprehendimus, niſi Græca ſubinde præceptis æquè ac uſu fuiſſet à gentibus peregrinis culta, eodem ferè modo, quo lingua Latina in Occidente plerorumque populorum communis Mercurius eſt, & utcunque per præcepta Grammatica ita traditur, ut non planè in linguam novam, quales Italica, Gallica, Hiſpanica &c. ſunt, abeat: Quamvis non omnes, imo pauciſſimi, qui Latinam linguam Grammaticè tenent, Latinitatis purioris indolem exprimant: qua de re Latinitatis Magiſtri ſunt audiendi. Nos è diverticulo in viam redibimus.

§. XIV. Lingua *Macedonica* ſive *Hellenica Communis*, de qua hactenus diximus, inter doctiores & natos ipſos Græcos diu fuit ſervata, & (ut Philoponus loquitur) *ad Regulam remittebatur*, ſive per Regulas tradebatur, cùm *dialecti reliquæ omnes revocarentur* non tam ad regulam, quàm *ad proprietatem.* Hoc tamen non obſtante, ſenſim in pejus ipſa etiam hæc Lingua vetus ruebat, & novas contrahebat ſordes, maximè cùm tempore CONSTANTINI MAGNI Imperii Romani ſedes ad Græcos eſſet translata, ex qua mutatione Imperatoriæ ſedis, uti illarum Regionum populi novo *Romanorum* titulo ſuperbire inceperant; ita eorundem Linguæ græcæ, quam hodie *Romaicam* vel *Romanam* vocant, plura Latiniſmum referentia ſunt immixta, prorſus atque poſt oppreſſionem Turciam, qui hodie inter Turcas vivunt græci, plura Turcica habent, ut hodiernam vulgarem Linguam græcorum, ſolam edoctus linguam veterem, non amplius intelligat. Porro non ex his ſolis mutationibus imperii, inter ipſos græcos, hinc inde lingua græca corrupta fuit; ſed conſtat, pro varietate provinciarum, hodiernos græcos, etiam ipſo diſtingui ſermone. Hinc multa habent, qui Italis vicini ſunt, ex lingua Italica, quæ alii Græcorum neſciunt. Alii autem varia ſumſerunt ex Valachorum, Bulgarorumque, aut

aliorum vicinorum populorum uſu, adeo, ut *Cabaſilâ* judice, ultra ſeptuaginta dialectos Græcas hodie numerare liceat. En fontes ***Linguæ Græcæ vulgaris***, quam vulgo Noſtrates Græcè docti ***Linguam Barbaro-Græcam*** ſalutant.

§. XV. Non malè nimirum Linguæ Græcæ hodiernæ origines detecturus, EDOARDUS BREREWODUS, in *Scrutin. Linguar. cap. II. p. m. 16.* dixit: *Maxima corruptio domi nata & à propria Græcorum negligentia ſeu affectatione proceſſit.* Huc pertinet mira literarum ſimilium vicinarumque confuſio, vocularum ipſarum mutilatio & multiplex corruptio, unde tandem paſſim nova declinandi conjugandique ratio eſt exorta, qua de re noſtram conſulas *Grammaticam Barbaro-Græcam Capp. II. ſeqq.* Hæc certè omnia, aut ſaltem pleraque domi nata videntur. Acceſſit negligentiæ varia calamitas Græcæ gentis, quæ propioribus præcipuè ſeculis tanta fuit, ut muſæ elegantiores vel in patria cum Græcis exilium paterentur, omniſque ſermonis cultus ceſſaret. Hinc prodiit ex vulgi uſu quotidiano, analogiam Grammaticam & Linguæ cultum, vel neſciente, vel negligente, lingua illa, quæ ſingulari nomine Græcis πεζὴ, h. e. *pedeſtris*, vel ῥωμαϊκὴ ſive *Romana*; noſtris autem *Barbaro-Græca* audit.

§. XVI. Non tamen negarim, multum contuliſſe ad linguæ hujus natales, & indolem, quam hodie habet, partim Romanorum, & deinde Turcarum imperia Conſtantinopolin tranſlata; partim commercia cum populis vicinis. Hinc ſunt multa vocabula, aliquibus tantùm in provinciis Græcorum uſitata, aliis autem Græcorum hodiernorum penè ignota. Ut fidem aſſerto faciam, Clariſſimi Viri, MICHAELIS ANASTASII, *Macedonis*, (quem *Hieromonachum* eſſe à nonnemine, ſed falſa narrante, acceperamus; unde hic error in noſtra ad *Poëſin Barbaro-Græcam Introductione*, aliquoties recurrens emendari debet) verba adducam, quæ leguntur in ejus Epiſtola Barbaro-Græca, quam una cum verſione Latina edidit Celeberrimus M. JO. TRIBBECHOVIUS, *in Appendice Elementorum Græcæ vulgaris Linguæ*, *F. 3. fac. 2.* *Niſi* (ait) *ego aliquam Italicæ linguæ cogni-*

cognitionem habuiſſem, ne comprehendere quidem potuiſſem, quid "
ſignificaret, quando Simon Portius *dicit*, ςανιάρω, *quod in vul-* "
gari Græca (puta illa, quam Macedo noſter ex ſua provincia tenet) "
dicitur γανώνω, *& derivatur ab antiquo* γανόω *ſplendidum reddo:* "
unde ſignificat lituram illam, quando ſtanno obducuntur vaſa ærea, "
aliaque, ut lucida appareant. Similiter illud ῥιγάρω, *id quod vul-* "
garis ſermo effert per χαρακώνω *à* χαράσσω, *denotatque ſigna, quæ* "
imprimimus chartæ foliis, ut ſcribamus æqualiter, nec obliquè aut "
tortuosè. Sed quando dicit: ὅγοιος, ὅγοια, ὅγοιον, *ut ſignificet idem,* "
quod ὅποιος, ὅποια, ὅποιον, *profectò ſcribit Valachicam vocem literis* "
Græcis. Multa quoque alia hujus generis ex peregrinis vocibus "
transfert optimus ille Portius." Hæc Anaſtaſius de *Simone Portio*, qui origine *Græcus Cretenſis* erat, ut eſt apud *Carolum du Freſne in Præfat. Gloſſ. fol. X.* Quid? Etiam CAROL. DU FRESNE in *Præfat. Gloſſarii ſui Mediæ & Infimæ Græcitatis, pag. VIII.* obſervat, SIMEONEM CABASILAM in quadam ad CRUSIUM Epiſtola teſtari, ultra ſeptuaginta dialectos Græcas hodie haberi, nullibi tamen deteriorem, atque Athenis. Et quamvis *pag. præced. VII.* idem dixerit, quòd, *qui unam illarum dialectorum tenet, reliquas facile intelligat*, neutiquam tamen negat, quasdam dari hinc inde voces, quæ nonniſi in certis Græcorum regionibus & provinciis notæ ſint. Accedit præterea etiam hoc, quod multa vocabula olim uſu recepta hodie ferè ſqualorem contraxerint & obſoleta habeantur. Hinc ex Græcorum ſuorum ore & judicio laudatus *Dn. Tribbechovius* de *Dictionario Græco-Barbaro* P. GERASIMI ULACHI CRETENSIS, in *Diſſertatione Præliminari Element. Ling. Græc. Vulg. §. XXIV.* monet, *ex decem vocabulis, quæ ibi occurrunt, vix unum eſſe in communi Græcorum uſu.* Mox etiam de MEURSII GLOSSARIO GRÆCO-BARBARO, quod Scapulæ recens edito adjectum habetur, tale adfert judicium: *Magis utile eſt ad autores ſequiorum ſeculorum intelligendos, quàm ut nunc poſſit adhiberi; ſiquidem ne vigeſimum ſæpe vocabulum amplius eſt in uſu.* Debemus tamen ſine dubio illis quoque gra-

tias, qui ſuis dictionariis efficiunt, ut poſſimus auctores ſequiorum ſeculorum evolvere, etſi voces illis receptæ, fortaſſis hodie non amplius, aut ſaltem non ubique locorum inter Græcos æquè vigeant.

§. XVII. Videlicet certum eſt, hiſtoriæ Byzantinæ Scriptores paſſim à veteri Græciſmo jam recedere incepiſſe, licèt alii eorundem puriores, alii magis barbari deprehendantur. Poſtquam enim Sedes Romana Conſtantinopolin deveniſſet, ſenſim ſenſimque in praxi vulgari & vita communi, utraque lingua, & Romana & Græca, in illis provinciis vim eſt paſſa, quam ne docti quidem viri penitus in ſuis commentariis declinare poterant. Talia ſcripta cenſentur à Doctis, quæ THEOPHYLACTUS, SIMOCATTA, CEDRENUS, CONSTANTINUS MENASSES, NICETAS CHONIATES, ſimileſque ediderunt, in quæ CAROLI ANNIBALIS FABROTI, PETRI POSSINI, imo & NICOLAI RIGALTII, ipſiusque JOH. MEURSII *Mixo-Barbara & Barbaro-Græca* Gloſſaria exſtant, quæ opera laudantur in **Actis Eruditor.** Lipſiæ edi ſolitis Anno 1689. *p. 62. 63.*

§. XVIII. Quemadmodum verò cum ſeculorum decurſu & Græcorum fatis adverſis incrementa cepit Barbaries: ita quò juniores ſunt Græci auctores vulgares, eò etiam impuriores ordinariè deprehenduntur, ut vix ſine & novæ Grammaticæ & novi Gloſſarii ſubſidio poſſint legi. Tales ſunt DEMETRII ZENI ſimiliumque lucubrationes, ſeculo decimo ſexto in noſtram Germaniam, maximam partem operâ viri, cùm viveret, hiſce in Literis ſummi, B. MARTINI CRUSII, Tübingenſis olim Profeſſoris, translatæ, & doctis notis illuſtratæ. Ipſe propterea non modò in ſuo ***Turco-Græcia*** (quæ Baſileæ in folio A. C. 1584. prodiit, quam mox A. C. 1585. ejusd. ***Germano-Græcia***, ead. forma ſecuta eſt) *fol. 185.* ſemetipſum, *πρῶτον Barbaro-Græcæ linguæ in noſtram Germaniam introductorem* nuncupat; ſed etiam aliorum judicio neminem ante ſe habuit, qui in his terris Græco-Barbara æquè ſtrenuè urſiſſet. Hinc laudatum ipſius opus pridem meruit non modò propter hiſtoriam, ſed etiam propter Linguam Græcam omnibus commendari.

Dolen-

Digitized by Google

Dolendum tamen eſt, quod quæ ipſe dedit, nimium ſint confuſa, diffuſa, imo etiam admodum manca & imperfecta. Non invenies ibidem Lexicon, non Grammaticam Synopſin, ſed varios textus Barbaro-Græcos in ſoluta & ligata oratione, quos notulis Grammaticis hinc inde illuſtravit, lectoremque utcunque juvit. Vocabula autem, quæ ex ore quorundam Græcorum natorum collegit, nec iſtum ordinem habent, nec ad eum numerum ſurgunt, ut poſſint titulum Lexici cujusdam ſuſtinere. Laudandum interim eſt viri ſtudium, quô ſequentium annorum doctis facem egregiè prætulit, & multa primus noſtros edocuit in Lingua Neo-Græca Germanos.

§. XIX. Proximum à Cruſio locum damus JOH. MEURSIO, Batavo Celebratiſſimo, qui in literatura Græca paucos pares, ſuperiorem neminem habuit. Mira ſedulitate omnia Græciæ monumenta perluſtravit, omniumque ætatum Scriptores Græcos evolvit: qua occaſione Viro doctiſſimo enatum eſt *Gloſſarium Barbaro-Græcum*, quod ſeculo decimo ſeptimo ſæpius, nec ſine acceſſionibus variis, impreſſum fuit. Edidit quoque CONSTANTINI MENASSIS Annales verſibus politicis adornatos, cum verſione Latina & notis doctiſſimis, aliosque ſimiles auctores, qui ad indolem Græcitatis mediæ & infimæ intelligendam faciunt. Nec JACOBI GRETSERI opera (qui multos ex Græcis Latinè illis tranſtulit temporibus) penitus eſt negligenda; nec DIONYSII GOTHOFREDI, JACOBI GOARI, ſimiliumque labores, in his literis laude Doctorum Virorum carent: ſi quidem paſſim Græcorum ſequiorum officia & voces illuſtrant.

§. XX. Maximum de Lingua Neo-Græca meritum HIERONYMO GERMANO Panormitano, & SIMONI PORTIO, *Cretenſi, Romano Doctori Theologo* illi doctorum vindicant, qui præcepta Grammatica, ad ea uſque tempora, hac in lingua deſiderarunt. GERMANO tribuit Grammaticam Barbaro-Græcam *CAROLUS du Freſne Præfat. cit. fol. IX:* & B. KOENIGIUS in *Bibliotheca Veteri & Nova fol. 343.* teſtatur, eum *An. 1622. Vocabula-*

)( )( )(3 *rium*

rium Italico-Græco-vernaculum Romæ emiſiſſe. Quos viri labores nunquam vidimus; PORTII verò opus oculis uſurpavimus. Prodiit illud primùm *Pariſiis A. C. 1638.* adeoque eodem, quo Verſio Novi Teſtamenti Barbaro-Græca lucem publicam conſpexit, anno, fuitque ***Cardinali de RICHELIEV*** inſcriptum. Titulum hunc gerit libellus: Γραμματικὴ τῆς ῥωμαϊκῆς γλώσσας. Quaſi diceres, ***Grammatica Romaicæ Linguæ.*** Appellatur verò vulgaris Græcorum lingua ῥωμαϊκὴ, ſive *Romæa*, quia Chriſtiani Græci *CPolin* ſuam, *Novam Romam* pridem dixerant, prout aliunde conſtat, Confer ſuperius §. III. circa finem. De reliquo Portii libellum dignum judicavit CAROL. DU FRESNE, quem totum ſuo ***Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis*** præmitteret *Lugduni 1688. in folio.* Hunc eundem ſecutus eſt B. GEORGIUS MATTHIAS KOENIGIUS, Prof. Altdorf. Celeberrimus, cui & Grammaticam & Lexicon Barbaro-Græcum, (quamvis publicam lucem neutra illarum lucubrationum hactenus viderit) debemus: ſecutus etiam eſt eundem laudatus aliquoties DN. JOH. TRIBBECHOVIUS in *Brevibus*, quæ vocat, ***Linguæ ῥωμαϊκῆς ſive Græcæ Vulgaris Elementis***, *Jenæ 1705. in 8vo* editis, quod ipſe in *Diſſert. Proœmiali ſua §. XXV.* fatetur quidem, ſed tamen ſimul monet, plurima ſe quoque debere doctiſſimo Græco Macedoni, ANASTASIO, qui Fridericianam his in ſtudiis aliquandiu egregiè juvit, ornavitque.

§. XXI. Tandem, ut taceamus P. GERASIMI ULACHI, CRETENSIS ***Dictionarium Græco-Barbarum***, *cum Interpretatione Italica & Latina, Venetiis Anno MDCLVIII. in 4to excuſum*, quod plenius CL. Tribbech. cit. Diſſert. §. XXIV. recenſuit: ut taceamus etiam quæ de ***Corona pretioſa***, (eidem auctori cit. loc. recenſita) adferre poſſemus: illud ſolùm monebimus, magni theſauri loco in hoc literarum genere à multis haberi Illuſtris quondam Viri, CAROLI DU FRESNE *Gloſſarium ad Scriptores mediæ & infimæ Græcitatis, in quo Græca vocabula novatæ ſignificationis, aut uſus rarioris, Barbara, Exotica, Eccleſiaſtica, Liturgica, Tactica, Nomica, Jatrica, Botanica, Chymica explicantur,* *eorum-*

Digitized by Google

eorumque notiones & originationes reteguntur &c. è libris editis, ineditis, veteribusque monumentis. **Lugduni** *apud Aniſſonios, Joan. Poſuel & Claud. Rigaud. An. 1688. cum privilegio Regis Chriſtianiſſimi*, in folio. Præmiſſa eſt Præfatio prolixa & docta de cauſis corruptæ Græcitatis, nec non SIMONIS PORTII, græci Cretenſis, *Grammatica Lingua Græca vulgaris*, unà cum *Imaginibus rerum quarundam ad rem præſertim Liturgicam aut veſtiariam Græcanicam ſpectantium, quarum vocabula in Gloſſario exponuntur.* Pleniorem qui deſiderat hujus prolixi operis deſcriptionem, adeat *Acta Eruditorum Lipſiæ Anno 1689.* edita, *pag. 62. ſeqq.*

§. XXII. Hæc potiora ſcripta ſunt, quæ ad Linguæ Græcæ Vulgaris ſive Romaicæ cognitionem pleniorem faciunt. *Auctores* nunc paucis etiam ſunt attingendi, qui hoc linguæ genere ſunt uſi, quorum quidem numero pauciores in his noſtris terris noti ſunt, maximè ſi ad codices impreſſos velis oculum reflectere. Nec enim tam in noſtris Bibliopolis, quàm quibusdam Bibliothecis inſtructioribus Auctores Barbaro-Græci inveniuntur. Qui primus in *Germania* libros Barbaro-græcos edidit, erat *Martinus Cruſius*, in cujus *Turco-Græcia* (de qua §. XIIX. jam diximus) aliquot Scriptores huc pertinentes exſtant. Invenimus ibidem *fol. 105. ſeq.* cum verſione Latina & Notis, EMANUELIS MALAXI PELOPONNESII *Hiſtoriam Patriarchicam*, item *fol. 237. ſeqq. varias Epiſtolas*, in Linguam vulgarem græcam à THEODOSIO ZYGOMALA, Protonotario Patriarchæ Conſtantinopolitani, converſas. Habetur in eodem opere quoque DEMETRII ZENI ZACYNTHII *Batrachomyomachia Homerica*, quam nuper recudi curavimus. B. HENRICUS HILARIUS in ſuis ad PHILIPPI CYPRII *Chronicon Eccleſiæ Græcæ*, *Commentariis pag. 425.* ex Cruſii *Turco-Græcia* (Conf. fol. 496.) refert, D. MICHAELEM CANTACUZENUM curaſſe Conſtantinopoli, *Auguſtanæ Confeſſionis verſionem Barbaro-Græcam* Sed libris impreſſis illa verſio non eſt accenſenda. Plures auctores græco-Barbaros *Romæ* impreſſos doctus orbis poſſidet. Ut enim alios taceamus,

plura

plura certè opuſcula Neo-græca ibidem vel ſolus edidit NEOPHYTUS RHODINUS, *Cyprius*, *Hieromonachus Ordinis S. Baſilii*, & deinde apud Romanos per plures annos Miſſionarius Sacræ Congregationis fidei propagandæ. Libellus ipſius (quem Polyhiſtor & Medicus Noricus Excelientiſſimus, Dn. D. THOMASIUS nobiſcum communicavit) *de Viris illuſtribus Cypriis* (ſive ut ipſe Titulus Græcus habet, Ἡρώων, ϛρατηγῶν, φιλοσοφων, ἁγίων, ϗ ἄλλων ὀνομαϛῶν ἀνθρώπων, ὀπȣ̃ ευγήκασιν ἀπὸ τὸ νησὶ τῆς Κύπρȣ) excuſus eſt *Romæ*, unà cum *Martyrio ſancti Mamantis*, apud *Maſcardum* in 12. Totus Barbaro-Græcus eſt, niſi quòd præter dedicatoriam Latinam, etiam Latinus Catalogus operum à Neophyto Rhodino ſive editorum, ſive elaboratorum, ex *ſecunda Recenſione Apium Urbanarum*, *ſive de Viris Illuſtribus*, *LEONIS ALLATII*, præmittitur, quem totum, cum brevior ſit, Lectori Benevolo dabimus. Ita verò *Allatius*: "*Neophytus Rhodinus*, *Hieromonachus* „*Ordinis S. Baſilii Cyprius*, *& per plures annos Sacræ Congregationis* „*fidei propagandæ Miſſionarius*, *& maximum in modum ab Hære*„*ticis & Schiſmaticis ob fidem Catholicam afflictus*, *& diris tor*„*mentis confectus*, *edidit vernacula Græcorum lingua* (1) *Com*„*pendium divinorum Sacramentorum. De præceptis Deca*„*logi. De Peccatis. De Cenſuris Eccleſiaſticis. De officio* „*Divino recitando. Omnia ſimul Romæ*, *apud Hæredem Bartho*„*lomæi Zannetti 1628. in 8.* (2) *Panopliam Spiritualem libris V.* „*In qua res ad fidem pertinentes dilucidè exponuntur*, *Romæ apud* „*eundem 1630. in 8vo.* (3) *Interrogatorium Confeſſorum*, *Romæ* „*Typis Sacræ congregationis Fidei propagandæ 1630. in 12.* (4) *Ho*„*milias XII. Canticum B. Mariæ Virginis Magnificat ex*„*ponentes*, *additur Homilia in Dormitionem Deiparæ &* „*Martyrium Sancti Neophyti*, *omnia Græcorum lingua verna*„*cula. Romæ typis ejuſdem Sacræ congregationis 1636. in 8vo. Vertit* „*in eandem Græcorum linguam* (5) *Auguſtini*, *Epiſcopi Hip*„*ponenſis Soliloquium*, *ibid. 1637. in 12.* (6) *Auguſtini Epiſcopi* „*Hipponenſis Manuale*, *ibidem 1637. in 12.* (7) *De viris illu-*

ſtribus

ſtribus Cypriis , *Romæ apud Maſcardum 1659. in 12. additur* “
Martyrum ſancti Mamantis eadem lingua: (9) *Epiſtolam ad Joan* “
nem Presbyterum Paramithyenſem de ſupremo Pontifice & aliis. “
Vertit etiam in eandem linguam nondum editos libros de Imita- “
tione Chriſti Joannis Gerſonis. Scripſit præterea de Synodis “
tractatum, qui apud me eſt. Parabat eadem lingua vitam Gregorii “
XIII. Pontificis Maximi. Tandem in linguam Græcam Atti- “
cam Martyrologium Romanum , quod aſſervatur ejusdem manu “
ſcriptum in Bibliotheca Barbarina.“ Hæc LEO ALLATIUS,
natione quidem *Chius* , ſed Romanæ Curiæ admodum addictus,
qui ipſe quoque plurimis ſcriptis editis , partim Romæ , par-
tim Pariſiis , partim alibi impreſſis , Hiſtoriam Græcorum &
auctorum Notitiam juvare eſt anniſus , quanquam parum applau-
ſus, ob nimium in Eccleſiam Pontificiam ſtudium , apud Græcos
meruerit. Exſtat etiam AGAPII , Græci cujusdam Monachi ex
monte Atho , opus , ſub Titulo , *Θαυμάσια τῆς ὑπεραγίας
Θεοτόκȣ* , unde Max. Reverendus Antiſtes Eccleſiæ Laurentianæ
Norimb. DN. JOH. WULFERUS , vir harum literarum peritiſſi-
mus , prolixum locum ſuis doctiſſimis Notis ad *Tract. Talmud.
Schekalim , pag. 117. ſeq.* inſeruit. Ipſum librum noſtris uſibus ex ſua
inſtructiſſima Bibliotheca commodavit. Conſtituunt illa *Θαυμάσια*
Mariæ Partem tertiam operis , quod inſcribitur , *Ἁμαρτωλῶν
σωτηρία , μετὰ πλείστης ἐπιμελείας συντεθὲν εἰς κοινὴν τῶν Γραικῶν
διάλεκτον παρὰ Ἀγαπίȣ μοναχȣ̃ τȣ̃ Κρητὸς , τȣ̃ ἐν τῷ ἁγίῳ ὄρει τȣ̃
Ἄθω ἀσκήσαντος.* Editio operis facta eſt *Venetiis anno 1671.* in for-
ma quarta , aut veriùs , octava auguſtæ chartæ. Totus liber mul-
tis fabulis ſcatet, præcipuè *Pars illa tertia de Miraculis Ma-
riæ* ; quam Agapius ex Pontificiorum Legendis & Græculorum im-
preſſis narrationibus contexuit , ita ut ſub initium dictæ partis,
pag. 319. poſtquam DEUM teſtem adpellaſſet , bona fide ſcribat:
*δὲν ἔγραψα τίποτας ἀπὸ τὸν νȣ̃ν μȣ. ἀλλὰ καθὼς τὰ ηὗρα τετυπωμένα εἰς
διαφόρȣς βίβλȣς διδασκάλων Ἰταλῶντε καὶ Γραικῶν , οὕτω καὶ ἐγὼ τὰ ἱστόρησα.*
Videlicet , quia narratiunculas ſuas ex libris Italorum & Græco-

rum

Digitized by Google

rum impreſſis depromſit, jam ſatis putat, ſe ſuam fidem liberaſse, nixus forte vulgari illo: *Impreſſum eſt: Quis non credat?* De NOVI TESTAMENTI Verſione Barbaro-Græca nos integram dedimus Diſſertationem, quæ in Parte altera noſtræ hujus Philologiæ exſtat, ad cujus §. V. ubi de incertô primæ editionis loco varia diximus, nunc ſupplementi inſtar addere juvat, nuper nos pro ſuâ humanitate modò laudatum Antiſtitem Noricum, B. PROF. KOENIGII generum & hæredem, DN. WULFERUM docuiſſe, atque benevolè admiſſo libro Græco., cui titulus eſt, Τῶν ἐκκλησιῶν τῆς Βελγικῆς χριστιανὴ καὶ ὀρθόδοξος διδασκαλία καὶ τάξις, quaſi ad oculum demonſtraſſe, primam N. T. Barbaro-Græci editionem fuiſſe adornatam *Lugduni Batavorum*, *typis Elzevirianis.* Cùm enim dictus liber apertiſſimè eodem typo conſtet, quo eleganter prima illa editio N. T. impreſſa habetur; ſimulque ibi adſcriptum ſit & nomen *Lugduni Batavorum* & nomen *Bonaventuræ & Abrahami Elzeviriorum*, qui illam *Belgicæ Eccleſiæ Chriſtianam & orthodoxam Doctrinam atque Ordinem* Græcè Anno αχμη h. e. 1648. impreſſerint; res dubio caret, etiam primam illam N. T. editionem Barbaro-Græcam eſſe Lugduni Batavorum, & quidem Elzevirianis typis factam. De reliquo optandum eſſet, ut nova editio N. T. Barbaro-Græca adornaretur, quæ majori, ac Londinenſis habet, charactere conſtaret, ſimulque præfationes à *Serapheimo* omiſſas (videl. *Cyrilli Lucaris*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, & *Maximi Calliupolitæ*, qui auctor verſionis Barbaro-Græcæ eſt) ex prima editione reſtitueret. Exſtant etiam nonnulla ſcripta metrica, quæ attigimus in noſtra ad Poëſin Barbaro-Græcam Introductione. Nec pauca dabit GLOSSARIUM CAROLI DU FRESNE, in quo plures codices Barbaro-Græci hinc inde citantur & excerpuntur: etſi negandum non ſit, plura doctiſſimum virum ex libris Manuſcriptis; plura etiam ex auctoribus, qui ſtilo potius Eccleſiaſtico & mixo-Barbaro, quem vocant, quàm vera vulgari linguâ uſi fuerunt, petiiſſe. Conſulatur interim operis ampliſſimi Index Auctorum tam editorum, quàm nondum editorum non

Digitized by Google

non inutilis, qui Appendici ad Gloſſarium Barbaro-Græcum ſubjectus foliis duodecim conſtat.

§. XXIII. Præter Codices hactenus recenſitos, plures alii impreſſi paſſim allegantur. RICHARDUS SIMON in *Hiſtor. Critica N. T. libr. I. cap. VII.* obſervat, *Pentateuchum, tum Hiſpanicè, tum Barbaro-Græcè, una cum Textu Ebræo & Paraphraſte Chaldæo, Conſtantinopoli Anno 1547. impreſſum eſſe.* Vide *Erud. Acta Lipſ. Anno 1689. p. 116.* Nempe Judæi Conſtantinopoli plures libros edunt: quod Chriſtianis conceſſum non eſt, ita ut duriſſima fata ſit experta Typographia Græca, quam Londino Conſtantinopolin menſe Junio, Anno 1627. delatam, vel ipſe Orator Anglicus ſuo patrocinio dignatus erat, prout ex THOMÆ SMITHII *Miſcellanis primis p. 92. ſeqq.* abundè conſtat, & nos alibi recenſuimus. Equidem in *Walachia*, cujus princeps Græcæ Religioni addictus à Principe ipſo in ſua ſede, *Bucoreſt*, ſive Βυκορέστιον dicta, typographia in gratiam Græcorum alitur: eſt tamen ſupremus magiſtratus Turcicus, ut conniveat, ſubinde muneribus mitigandus, & ſedulo cavendum, ne quid imprimatur, quod ſuſpicionem leviſſimam haberet. Hinc ferè non alii libri inde prodeunt, quàm Rituales, Aſcetici & ſimiles, quandoque etiam Polemici de Controverſiis Græcorum cum Pontificiis. Habent Græci quoque Typographias duas *Venetiis*, ubi tamen nulli polemici contra Pontificios imprimuntur. *Venetiis* jam *Anno Chriſti MDXXIX.* in 4to. edidit *Antonius Pinellus* Μηνολόγιον, ex Menæis Græcorum erutum, & in linguam eorundem vernaculam à MAXIMO MARGUNIO, Cytherorum Epiſcopo, verſum. Conf. *Carolum du Freſne in Gloſſario colum. 926.* Ecd. anno ibid. prodiit *Demetrii Zeni Zacynthii* opus Metricum *de Alexandri Magni rebus geſtis.* Porro *Venetiis anno 1560.* editæ fuerunt ALEXII RHARTURI, Presbyteri & Chartophylacis Corcyræ, Διδαχαὶ ſeu *Doctrinæ* vel *Homiliæ*. *Hiſtoria Apollonii Tyrii*, verſibus politicis Barbaro-Græcis, *Conſtantini*, aut *verius Gabrielis Contiani*, pro-

ἐπάτει,	ἐϖατοῦσαν.

Perfectum.

ἐϖάτησα	ἐϖατήσαμεν
ἐϖάτησες	ἐϖατήσατε
ἐϖάτησε.	ἐπατήσασι vel ἐϖάτησαν.

Plusquamperf.

εἶχα πατήσει, εἶχες ϖατήσει &c.

Futurum.

θέλω ϖατήσει, θέλεις πατήσει &c.

Impe-

Digitized by Google

Imperat. Præſens.

Singul.	*Plural.*
πάτησε	ἂς πατήσωμεν
ἂς πατήσῃ.	πατήσετε
	ἂς πατήσουνε.

Optativus & Conjunctivus

per ſingula tempora ſeqvuntur Indicativum, ut in Barytonis; diſtingvuntur autem per particulas, quæ ex paradigmate Barytonorum ſatis notæ ſunt.

Infinitivus cum *Conjunctivo ad idem redit.*

Participium,

Πατῶντας eſt indeclinabile, ut in Barytonis.

§. XXI. *Paſſiva forma verbi Circumflexi* πατῶ ſic ſe habet:

Indicativi Præſens.

Singul.	*Plural.*
πατοῦμαι	πατειούμεσθεν
πατειέσαι	{ πατειοῦσθε
πατεῖται & πατειέται.	{ πατείεσθε }
	πατειοῦνται.

Imperf.

ἐπατειούμουν	ἐπατειούμεσθεν
ἐπατειούσουν	ἐπατειούσεσθε }
{ ἐπατείετον	ἐπατείεσθε }
{ ἐπατειούτουν	ἐπατειοῦνταν.

 Perfe-

Perfect.

ἐπατήθηκα	ἐπατηθήκαμεν
ἐπατήθηκες	ἐπατηθήκατε
ἐπατήθηκε.	ἐπατηθήκασι.

Alio modo

Ἐπατήθην, ἐπατήθης &c. prorſus ut Aoriſt. I. Paſſ. in veterum Græcorum lingua.

Plusquamperfect.

Εἶχα πατηθῆ, εἶχες πατηθῆ &c. ut in Barytonis.

Futurum.

Θέλω πατηθῆ, θέλεις πατηθῆ &c.

Imperativus.

Præſens.

Singul.	*Plural.*
	ἂς πατηθοῦμεν
πατήσου	πατηθῆτε
ἂς πατηθῆ.	ἂς { πατηθοῦσι / πατηθοῦνε.

Optativus & Conjunctivus

formantur ex Indicativo, ut in Barytonis per ſua tempora varia.

Infinitivus

hic quoque per Conjunctivum compenſatur.

Participium.

Πατημένος, η, ον &c. inflectitur more adjectivorum.

§. XXII.

§. XXII. *Secunda Circumflexorum Conjugatio* hoc paradigmate conſtat.

Activi Indicat.

Præſens.

Singul.	*Plural.*
ἀγαπῶ	ἀγαπᾶμεν
ἀγαπᾶς	ἀγαπᾶτε
ἀγαπᾶ.	ἀγαπᾶσι, vel ἀγαπᾶνε.

Imperfectum.

ἀγάπων	ἀγαπᾶσαμεν
ἀγάπας	ἀγαπᾶσετε
ἀγάπα.	ἀγαπᾶσαν.

Præter.

ἀγάπησα	ἀγαπήσαμεν
ἀγάπησες	ἀγαπήσατε
ἀγάπησε.	ἀγαπήσασι vel ἀγαπήσανε.

Plusquamperfectum.

Εἶχα ἀγαπήσει, εἶχες ἀγαπήσει &c.

Futurum.

Θέλω ἀγαπήσει, θέλεις ἀγαπήσει &c.

Imperat. Præſ.

	ἂς ἀγαπήσαμεν
ἀγάπησε / ἀγάπα	ἀγαπᾶτε / ἀγαπήσατε
ἂς ἀγαπήσῃ.	ἂς ἀγαπήσουν.

 Optativus

Optativus & Conjunctivus

ex Indicativo, per particulas ſæpius indicatas formantur.

Infinitivus

a Conjunctivo non differt.

Participium

ἀγαπῶντας, omnis generis & numeri.

§. XXIII. Ejusdem *Secundæ Circumflexorum Paſſivum Genus* ita ſolet conjugari:

Indicativ.

Præſ.

Singularis	*Pluralis.*
ἀγαποῦμαι	ἀγαπούμεθεν
ἀγαπᾶσαι	ἀγαπᾶσθε
ἀγαπᾶται	ἀγαποῦνται

Imperfectum.

Singul.	*Plural.*
ἀγαπούμουν	ἀγαπούμεθεν
ἀγαπούσουν	ἀγαπᾶσθε
{ ἀγαπούτουν vel ἀγαπᾶτον.	ἀγαποῦνταν.

Perfectum.

ἀγαπάθηκα, ἀγαπάθηκες &c.

Plusquamperfect.

εἶχα ἀγαπηθῆ, εἶχες ἀγαπηθῆ. &c.

Futu-

Futurum.

θέλω ἀγαπηθῆ, θέλεις ἀγαπηθῆ &c.

Imperativ. Præſ.

Singular.		*Plural.*
	ἄς	ἀγαπηθοῦμεν
ἀγαπήσου		ἀγαπηθῆτε
ἄς ἀγαπηθῆ	ἄς	ἀγαπηθοῦσι.

Optativus, Conjunctivus, Infinitivus, ut in Barytonis.

Participium

ἀγαπημένος, η, ον, ut in aliis verbis. Hactenus Paradigmata verborum Regularium ex *Portio* & CL. *Tribbechovio.*

§. XXIV. De *Verbis Anomalis* in genere tenendum eſt monitum B. D. JAC. WELLERI, Gramm. Græc. Sect. de verbis anomalis p. m. 267. *Non eſt, uſui cuncta committas in his verbis: poteris enim memoriæ regulis præpoſitis ſuccurrere.* Idem & nos imitari conabimur, & quod ipſe in lingua antiqua egregiè præſtitit; iſtud & ipſi nunc utcunque h. l. præſtare in Barbaro-Græca adnitemur.

§. XXV. Valet verò etiam generatim in Græca vulgari quod laudatus *Wellerus* d. l. p. 262. ex lingua Græcorum antiqua docet, *Formare* nimirum *verba anomala Præſens & Imperfectum regulariter; reliquis autem temporibus aut carere, aut ea aliunde formare.* Hoc generali monito præmiſſo, redigamus nunc anomala verba in certas claſſes, oſtenſuri poſtmodum, unde quælibet Claſſis tempora ſua, quibus a norma recedit, ſuppleat.

§. XXVI. Sunt verò anomala (1) *Verba in ανω*, qualia ſunt ἁμαρτάνω *pecco*, αὐξάνω *augeo*, βιζάνω *fugo*, λαμβάνω, unde

 compo-

compoſita ἀπολαμβάνω, καταλαμβάνω *recipio*, *comprehendo:* σιάνω *accommodo*, χάνω *perdo*, & compoſitum ξεχάνω *oblivіſcor* &c. Hæc & ſimilia verba Præſens & imperfectum ſecundum monitum generale, formant regulariter: Sed reliqua tempora ſua ab antiquis verbis in έω plerumque, raro a diſyllabis Barytonis mutuantur. Sic ab ἁμαρτάνω eſt Perfectum, ἁμάρτησα, ex antiquo ἁμαρτέω. Αὐξάνω habet in Præterit. ἄυξησα ab αὐξέω. Βιζάνω, ἐβίζασα, quaſi a βιζάω. Α'καταλαμβάνω dicitur ἐκατάλαβα ab antiquo aoriſto ſecundo ἔλαβον, verbi λήβω &c.

§. XXVII. In anomalorum cenſum veniunt (2) *Verba in* αίνω, v. gr. ἀποβγαίνω *fiuem ſortior*, ἀναβαίνω *aſcendo*, & omnia compoſita reliqua verbi βαίνω, quod ipſum quidem ſimplex non occurrit. Ε'υτηχαίνω *feliciter ago*, κερδαίνω *lucror*, λανθαίνω *lateo*, μαθαίνω *diſco*, παθαίνω *patior*, &c. Hæc præter præſens & imperfectú (quæ regularia ſunt) tempora cuncta ſua ab antiquis in έω vel άω deſinentibus deducunt, nonnunquam à Barytonis, maximè diſſyllabicis, v. gr. Α'ναβαίνω in Præter. ἀνέβηκα habet ab antiquo inuſitato βάω: Μανθαίνω facit ἔμαθα ex ἔμαθον aoriſto ſecundo veterum, verbi μανθάνω, ex μαθέω *diſco*. παθαίνω, *Præt.* ἔπαθα ex πήθω. λανθαίνω Præter. ἔλαθα ex λήθω antiquo.

§. XXVIII. Anomaliam patiuntur (3) *Verba in* ένω, qualia ſunt ἀναςένω *reſuſcito*, δένω *ligo* &c. quæ ſua tempora, quibus a regula recedunt, a verbis in άω, & έω (unde ipſa plerumque orta ſunt) derivant. Ita ab ἀναςένω eſt præteritum ἀνάςησα, quaſi ab ἀναςάω. Δένω habet ἔδησα atque deſcendit ab antiqua voce δέω *ligo* &c.

§. XXIX. Deficiunt (4) a regula, *Verba in* ήνω, ίνω & ύνω, v. gr. γδήνω ſpolio, ἀφίνω *relinquo*, δίνω *do*, πίνω *bibo*, σβίνω *exſtinguo*, χύνω *effundo*, ψύνω, *concoquo* &c. Hæc enim, ut pleraque ex verbis puris antiquæ linguæ Græcæ efformata ſunt, ita ſua tempora ab iſtis mutuò accipiunt. Nimirum Græci etiam

iam recentiores adhuc ſedulo evitant concurſum vocalium. Quia ergo hoc non facere poſſunt more antiquorum (nam verbis in *μι* carent, & non niſi duas conjugationes contractas admittunt, quarum ſubſidio aliàs Antiqui concurſum vocalium declinabant;) hinc alium modum excogitarunt, ſibi conſulentes plerumque hoc in negotio per epentheſin literæ *ν*. Sic ex antiquo *χύω* fingunt ipſi *χύνω fundo*, Præter. *ἔχυσα*: nam *χῦμι* (quod Antiquis quoque *fundo* eſt) dicere non poſſunt. Ita ex *σβέω* antiqui formant *σβῆμι* & *σβέννυμι*. Netrum Græciæ hodiernæ placet, quæ dicere amat *σβίνω*, Præter. *ἔσβησα* &c. Conf. cap. II. §. IX. ſeqq.

§. XXX. Verbis irregularibus accedunt (5) *Verba in ώνω*, quæ fiunt ex antiquis in *όω* tertiæ contractorum, unde ſua tempora petunt, v. gr. a. *δυλώνω* futurum eſt *θὲ δυλώσω*, Præter. *ἐδύλωσα*: à *τελειώνω* eſt *ἐτελείωσα* &c. Aliqn. tamen *σ* mutant in *ξ* more Attico, ut à *μαζώνω colligo*, *ἐμάζωξα*. Siquis tamen, quia regulam in reliquis ſeqvuntur, hæc verba velit ad tertiam Barytonorum referre (quod etiam noſmetipſi ſuperius §. X. fecimus) poterit illud noſtra pace facere. Saltem ab anomaliam leviorem, quam patiuntur, etiam hic nominari debebant.

§. XXXI. Idem judicium eſto (6) *de Verbis in ηύγω & εύγω* deſinentibus. Hæc ex verbis puris Antiquorum efformantur per epentheſin *γ*. (Vide ſupra cap. II. §. IX.) V. gr. *βασιλεύγω regno*, *σκηύγω incurvor* &c. Quæ *partim* tempora ſua accipiunt a verbis puris, ut *βασίλευγω ἐβασίλευσα* &c: (ſi nimirum a verbo antiquo puro, prout *βασιλεύγω* à *βασιλεύω*, deſcenderint:) *partim* autem æmulantur verba conjugationis primæ Barytonorum, quatenus *υ* in diphthongo *ηυ* vel *ευ*, ob ſoni ſimilitudinem, cum *φ*, charactere conjugationis primæ Barytonorum, confundunt. Ita fit a *σκηύγω* Perf. *ἔσκυψα*, quaſi præſens fuiſſet *σκύφω* vel *σκύφτω* &c.

§. XXXII.

§. XXXII. Ad Anomala pertinent (7) *Verba in σκω.* Qualia ſunt *βόσκω*, *βόσκομαι paſcor.* εὑρίσκω invenio &c. Hæc ſimiliter ſua tempora ab iis thematibus antiquis, unde ortum habent, accipiunt. Fiunt autem ferè ex Futuris, per adjectionem literæ κ ante ω. Ita ex εὑρέω, εὑρήσω fit εὑρίσκω, mutata ſimul vocali η penultimæ ſyllabæ in ι &c. Hinc Præter. εὕρηκα. Conf. Weller. d. l. num. V. p. m. 263.

§. XXXIII. Revocari denique debent ad Verborum irregularium ſeriem (8) *Verba in αρω.* Qualia ſunt ῥιγάρω adregulam dirigo, ςανιάρω, *ſtanno illino*, überzinnen. ῥιζικάρω *periculo exponor*, ταοσάρω *taxo*, *æſtimo*, ſchätzen &c. Hæc præterita ſua & reliqua tempora anomala petunt a verbis, quæ in έω apud Antiquos, ſi in uſu eſſent, terminarentur. Nam à ῥιγάρω eſt ἐῤῥιγάρησα: à ῥιζικάρω, ἐῤῥιζικάρησα: à ςανιάρω, ἐςανιάρησα &c. Ubi obſerva id, quod ſupra Cap. I. §. III. jam monitum eſt, ſcilicet hodiernos Græcos confundere vocales, & η, υ, ι indifferenter adhibere. Ταοσάρω tamen ſua tempora quaſi a themate ταοσαρίζω petit.

§. XXXIV. His præmiſſis, ſubjicimus nunc ipſorum verborum anomalorum quorundam manipulum, quem maximam partem induſtriæ *Simonis Portii* fol. XXXII. & ſeq. debemus.

A

Ἁμαρτάνω *pecco.* Præter. ἁμάρτησα.

Ἀναβαίνω *aſcendo.* Perfect. ἀνέβηκα. Imperat. Præſens, ἀνέβα. Βαίνω ſimplex hodierni Græci ignorant; ſed compoſita ejus ſunt frequentiſſima paſſim apud eosdem, v. gr. ἀποβγαίνω, interpoſito γ, *finem ſortior.* Διαβαίνω tranſeo, καταβαίνω *deſcendo* &c. de quibus inferius.

Ἀναςένω

Ἀναςίνω *reſuſcito*, Perf. ἀνάςησα, *reſuſcitavi.* At ἀναςίνομαι Præter. habet ἀναςάθηκα, *ſurrexi*, Imperat. ἀναςάσου *ſurge.*

Ἀποβγαίνω i. e. *finem ſortior*. Præf. ἀπόβγα ἀποβγῆνα vel ἀπόβγηκα. Vide Διαβαίνω.

Ἀποθαίνω *morior*, Perf. ἀπέθανον.

Αὐξαίνω & αὐζάνω *Augeo*. Perf. αὔξησα, & ηὔξησα *auxi.*

Ἀφίνω *Relinquo*. ἄφησα *reliqui.*

B.

Βάζω, Βάλλω & βάνω *pono*, Perf. ἔβαλα, Imperat. Βάλε *pone.*

Βαςῶ *porto, tolero*, Perf. ἐβάςαξα.

Βλέπω *video*. Præt. εἶδα, Fut. θέλω εἰδῆ, ab antiquo anomalo εἴδω *ſcio, video.*

Βόσκω *Paſco*, ἐβόσκησα *pavi.* Forma Paſſiva eſt

Βόσκομαι *Paſcor*; ἐβοσκήθηκα.

Βρίσκω pro εὑρίσκω ſæpius ſcribunt Neo Græci, ut ex Demetrio Zeno conſtat. Tempora repete ex εὑρίσκω.

Βυζάνω *ſugo*, Præter. ἐβύζασα.

Γ.

Γδύνω *Spolio, exuo*. Præter. ἔγδησα.

Δ.

Δένω *Ligo*. Præt. ἔδεσα.

Δίδω vel δίνω *Do*. Præt. ἔδωκα & ἔδοσα. Imper. δὸς *da*, pl. δότε *date*, Paſſ. δίδομαι. Præt, Paſ. ἐδώθηκα. Imperat. δίσου, *tradaris.*

H Διαβαίνω

Διαβαίνω *tranſeo.* Perf. ἐδιάβηκα, ἐδιάβηκες & ἐδιάβης, ἐδιάβηκε & ἐδιαβη &c. Quod in omnibus compoſitis verbi βαίνω tenendum eſt.

E

Ε'μπαίνω *Ingredior.* Perf. ἤμπα & ἐμπῆκα *ingreſſus ſum.* Imperat. ἔμπα.

Ε'πιτυχαίνω *Acquiro* Præt. ἐπέτυχα ab Indef. 2. antiquo ἔτυχον verbi τυγχάνω.

Ε'υγαίνω ἐυγάνω, *Exeo,* itidem a βαίνω deſcendit, & pro ἐκβαίνω dicitur, Præt. ἦυγα vel ἐυγῆκα, Futur. θέλω ἔυγει. Imperat. ἔυγα *exi.*

Ε'υρίσκω *Invenio,* ἦυρα vel ἤρηκα imò & ἤβρηκα ſæpius apud Demetr. Zenum. Futur. θέλω ἔυρη. Imperat. ἔυρε. Eodem modo conjugantur compoſita, ξαναυρίσκω *Reperio,* Perf. ἐξαναῦρα.

Ε'υτυχαίνω *feliciter ago.* Pr. ἐυτύχησα.

Ε'χω *Habeo.* Auxiliare Verbum, cujus totum paradigma exhibuimus §. XVI. Sic & omnia ejus compoſita anomala ſunt.

Z

Ζεςαίνω *calefacio.* Imperf. ἐζέςαινα & ἐζέςανα Pr. ἐζέςασα Part. Paſſ. ζεςαμένος, η, ον.

H

Η'ξέυρω *ſcio.* Præt. ἔμαθα ab indef. 2. verbi μαθέω. Futur. θέλω μάθει. Imperat. ἤξευρε, vel μάθε *Scias.* Subjunct. νὰ μάθω, vel νὰ ἠξέυρω Pr. Paſſiv. μαθημένος *ſolitus, gnarus, aſſvetus.*

Θ

Θέλω *volo*. Ejus paradigmata totum vide ſupra inter alia verba auxiliaria, §. XVII.

K

Καίω, καίγω, καύγω, *uro*. Imperf. ἔκαια. ἔκαυγα. Perfect. ἔκαψα Paſſ. καίωμαι. Imperf. ἐκαίουμουν. Κάυγομαι habet imperf. ἐκάυγουμουν. Perf. Paſſ. utrobique eſt ἐκάηκα. Imper. κάψου, ἂς καῆ. Conjunct. νὰ καγῶ Pr. Paſſ. καμμένος, η, ον, *uſtus, a, um*.

Καταβαίνω & Κατηβαίνω *deſcendo*. Pr. ἐκατήβηκα. Vide ſupra Διαβαίνω.

Καταλαμβάνω *comprehendo*. Pr. ἐκατάλαβα. Imperat κατάλαβε.

Κερδαίνω *lucror*. Perf. ἐκέρδησα & ἐκέρδαισα.

Λ

Λανθαίνω *lateo* Præt. ἔλαθα.

Λαχαίνω *ſortior*, λαχαίνει *accidit*. Præt. ἔλαχα *ſortitus ſum*.

Λέγω *dico*, Pr. εἶπα Fut. θέλω εἰπεῖ.

M

Μαζώνω *colligo*, Perfect. ἐμάζωξα.

Μαθαίνω *diſco*, Pr. ἔμαθα. Imperat. μάθε Conjunct. νὰ μαθῶ.

Μεταλάβω *communico & communicor*, Pr. ἐμετάλαβα.

Ξ

Ξαναβλαςάνω & Ξαναβλαςαίνω *Germino*. Præt. ἐξαναβλάςησα.

Ξαναβλέπω *iterum video*. Perf. ἐξανάιδα. Imperat. ξανάειδε, *iterum vide*.

Ξαναλέγω *repeto*. Præt. ἐξανάπα, *repetii*.

Ξαναψυχαίνω *hilareſco*, ἐξαναψύχησα *exhilaratus ſum.*
Ξαπερνῶ *excello*, Præt. ἐξαπέρασα Imper. ἐξαπέρασε.
Ξεθυμαίνω *Animo deficio:* Perf. ἐξεθύμησα.
Ξεπέφτω *Præterlabor.* Præter. ἐξέϖεσα.
Ξερνῶ *evomo.* Perf. ἐξέρασα, *evomui.*
Ξεχάνω *obliviſcor.* Perf. ἐξέχεσα.

Π

Πάγω vel παγαίνω aut ϖηγαίνω, *Eo.* Imperf. ϖήγαινα Perf. ἐπῆγα. Imperat. ἄμε. Subjunctiv. νὰ ϖάγω autemfit per ſyncopen a ϖαγαίνω, quam etiam retinet in omnibus perſonis & numeris hunc in modum:

Πάγω, πᾶς, ϖᾶ, Plur. ϖᾶμεν, ϖᾶτε, πᾶσι vel ϖάνε.

Παθαίνω *patior.* Perf. ἔϖαθα, Imperat. ϖάθε, & πάθαινε. Hanc eand. inflexionem ſeqvuntur compoſita, ut κακοπαθαίνω *mala tolero.*

Πέρνω *capio*, Perf. ἐπῆρα Fut. θέλω ϖάρει, conjunct. νὰ ϖάρω.

Περνῶ *tranſeo*, Perfect. ἐϖέρασα, Fut. θέλω περάσει. Imperat. ϖέρασε.

Πέφτω *cado*, ἔϖεσα. Sic etiam compoſita.

Πιάνω *accipio* à πιάζω: Perf. ἐπίασα. Imperat. ϖιάσε & ἔπαρε *accipe.*. Ita & compoſita ejusdem.

Πίνω *bibo* Præter. ἤπια & ἔϖια. Imperat. ϖιὲ *bibe*, Subjunct. νὰ ϖιῶ.

Ποδαίνω & ϖοδήνω *ocreas induo.* Pr. ἐπόδησα.

Ρ

Ῥιγάρω *adregulam dirigo*, Pr. ἐῤῥεγάρησα. Eſt verbum Italicum *Rigare.*

Ῥιζικάρω *periculo expono*, Perf. ἐῤῥιζικάρησα.

Σ

Σβεῶ *exſtinguo* & *exſtinguor*, Perf. ἔσβησα

Σβίνω *idem*, Præt. ἔσβισα.

Σιάνω *accommodo*, Pr. ἐσίασα.

Σκηύγω *incurvor*, *adoro*, Præt. ἔσκυψα.

Σταννιάρω *ſtanno illino*, Imperfect. ἐσταννιάριζα, Perfect. ἐσταννιάρισα.

Στέκομαι *Sto*. Pr. ἐστάθηκα. Imperat. στέκε & στάσε Conjunct. νὰ σταθῶ.

Σωπαίνω *taceo*, Præter. ἐσώπασα. Imper. σῶπα. Conjunct. νὰ σωπάσω.

Τ

Τασσάρω *taxo*, *aſtimo*. Imperf. ἐτασσάριζα. Pr. ἐτάσσαρισα. Verbum Italicum eſt.

Τρώγω *comedo*, præter communem flexionem admittit etiam hanc: τρώγω, τρῶς, τρῶ, (ita quidem Portius: ſed tamen Cl. Tribbechovius ex Græcorum uſu refert, quod τρῶ in tertia ſingulari non ſit in uſu) Pl. τρῶμεν, τρῶτε τρῶσι & τρῶνε. Imperf. ἔτρωγα, ἔτρως, ἔτρω, ἐτρώγαμεν, ἐτρῶτε, ἐτρώγασι vel ἐτρώγανε. Præt. ἔφαγα, ἔφας, ἔφα, ἐφάγαμεν, ἐφάγατε & ἐφᾶτε, ἐφάσι & ἐφάγανε Futur. θέλω φάγει &c. Imperat. φάγε, ἂς φᾷ, vel ἂς φάει. Subjunct. νὰ φάγω.

Υ

Ὑπάγω *eo*, per aphæreſin, πάγω Vid. ſupra in Π.

Φ

Φεύγω *fugio*, Præt. ἔφυγα. Imperat. φύγε,

Φθάνω & φθαίνω *aſſequor*, Præt. ἔφθασα *aſſecutus ſum*.

Digitized by Google

X

χάνω *perdo*, Præt. ἔχασα. Præt. Paſſ. ἐχάθηκα.
χάσκω *ore hiante meditor*, Imperat. ἔχασα.
χορταίνω, *ſaturo*, Præter. ἐχόρτασα.
χύνω *effundo*, Præt. ἔχυσα.

Ψ

Ψύνω *concoquo*. Præt. ἔψησα.

Ω

Ω'φελαίνω *adjuvo*, Præt. ὠφέλησα ab ὠφελῶ. Atque hæc de verbis anomalis quoque dicta ſunto.

Caput VII.
De
Adverbio.

§. I.

ADverbia pleraque hodiernorum Græcorum deſinunt in α, utpote, quæ a nominibus neutris plur. num. ſæpiſſimè deducuntur v. gr. καλᾶ *bene*. ἐξαίσια *excellenter*, ἀγαθᾶ *recté*, ἄδικα *immerito* &c. Sunt tamen aliqua quæ in ως exeunt, ut ὡς, καθὼς *quemadmodum*, ὀμπρῶς ab ἔμπροσθεν *ante*, *coram* &c. Reperiuntur quoque, quorum terminatio eſt ω, ut ὀπίσω *retrorſum*, ἐδῶ *hic*, ἐπάνω *ſupra* &c. Rariora ſunt, quæ in ου finiunt, e. gr. αὐτοῦ *ibi*, ἐξάφνου *repente*, πιτακτοῦ pro ἐπὶ τακτοῦ *data opera* &c. Habent & alias terminationes v. gr. ἂν *an?* ἐκεῖ *ibi*, πουπετὰς *alicubi*, ἀκόμι *nondum*, ἔτζι *ita*, χθὲς *heri*, quas ex Lexico diſcere poteris.

§. II. Juxta ſignificationem conſiderata adverbia, alia ad

Quan-

Quantitatem, alia ad *Qualitatem*, alia ad *Actionem* referri ſolent.

§. III. *Quantitatem* notant adverbia

1. *Intendendi*, ut πολλὰ *multum*, δυνατὰ *vehementer*, ὑπερπερίσσα *ſuperabundanter*, πολλαδύνατα *valde*.

2. *Remittendi*, ἀχαμνὰ *remiſsè*, ἀγάλια *ſenſim*, μετὰ βίας & μεβία *vix*, ὀλίγο *parum*.

3. *Numeri*; quæ ferè ſunt compoſita ex nomine numerali & alterutra vocum φορᾶ vel βολᾶ, ut μιᾶ φορᾶ *ſemel*, δύο φοραῖς *bis*, τραῖς βολαῖς *ter*, συχναῖς φοραῖς *ſæpe*, *frequenter*, πολλαῖς βολαῖς *multoties*.

4. *Temporis*: τῶρα (*quaſi* τῇ ὥρᾳ) *nunc*, παρευθὺς *ſtatim*, σήμερον *hodie*, ἄυριο *cras*, μετάυριο *poſt craſtinum*, χθὲς *heri*, προχθὲς *nudius tertius*, ἀργᾶ *ſero*, ἀπέκει *poſtea* &c.

5. *Loci*: ἐκεῖ, αὐτοῦ *ibi*, ἀπεκεὶ vel ἀπαυτοῦ *inde*, ποῦ *ubi*, πουπετας *alicubi*, ἀπάνω *ſurſum*, ὀμπροστὰ vel ὀμπρῶς *ante*, ὀπίσω *retrorſum*, ἐδῶ *hic*, κοντὰ *prope*, *apud*, κοντήτερα *propius*, σιμὰ prope, σιμώτερα *propius*, σιμώτατα *proxime* &c.

§. IV. Ad *Qualitatem* ſpectant καλᾶ *bene*, κουφᾶ *ſurdè*, ἔτζι *ita*, ἀγαθὰ *rectè* γαληνευτικὰ *tranquille*, γέματα *plenè*, γλυκυὰ *ſuaviter* &c. Pleraque enim, quæ a nominibus adjectivis magna copia formantur, huc referri debent.

§. V. Ad *Relationem* pertinent adverbia

1. *Comparandi*: πλέα *plus*, ἐπάνω εἰς ὅλα *maximè* &c.

2. *Similitudinis*: ὡς, καθὼς *quemadmodum*, ὡς *ſicut*, ὡσὰν vel σὰν *tanquam* &c.

3. *Congregandi*: μαζὶ, ἀντάμα *una* &c.

4. *Segregandi*: δίχως, χωρὶς *ſine* &c.

5. *Celandi*: χωστᾶ, κρυφᾶ *clam* &c. Poſſemus huc plures claſſes, ſi opus foret, referre. Pro inſtituti noſtri ratione hæc ſufficiant.

§. VI. Ad

§. VI. Ad *Actionem* revocantur adverbia

1. *Interrogandi:* πῶς *quomodo?* πόσον *quantum?* cui reſpondet τόσον *tantum?* &c.

2. *Dubitandi* ἂν *an?* τάχα *fortè.*

3. *Affirmandi:* ναὶ, ναίσκε *certè*, ὁλότελα *penitus*, ἐπαληθινὰ *verè* &c.

4. *Negandi:* ὄχι, ὄσκε, ὄγεσκε *nequaquam*, δὲν vel δὲ *non.*

5. *Prohibendi;* μὴ *vel* μὴν *ne.*

6. *Optandi:* ἀμποτες *utinam.*

§. VII. Denique nota de Adverbiis, quòd quædam adjectiva neutra in illorum cenſum veniant v. gr. τὸ ταχὺ *manè*, τὸ βραδὺ *veſperi*, &c. Idem accidit nonnullis ſubſtantivis v. gr. τὴν νύκτα *noctu*, τὴν ἡμέραν *die.*

Caput IIX.

De

Præpoſitionibus.

§. I.

Præpoſitiones vel ſunt Separabiles, vel Inſeparabiles. *Separabilium* numerantur hodie pauciores: uſitatiores certè non niſi octo ſunt ἀπὸ, γιὰ vel διὰ, εἰς, πρὸς, μὲ & μετ', κατ': quibus quidam addunt χωρὶς, δίχως & ὡς, quæ tamen potius adverbia ſunt Præpoſitionum naturam æmulantia, quorum magna paſſim apud Antiquos, imo & Recentiores Græcorum ſeges eſt. Ut obiter ex recentioribus ſaltem aliquot ejusmodi adverbia enumeremus, ecce hæc; ὄμπροστα & ὄμπρὸς, *antè;* κοντὰ & σιμὰ *apud, prope;* τριγύρου, *circa, circiter, circum;* ἀπεδῶ ἀπὸ, *cis, citra;* κρυφὰ & χωστὰ *clam;* ἐναντίον *contra;* ὄξω & ἔξω *extra;* ἀνάμεσα *inter;* μέσα *intra;* ὕστερα *ponè, poſt,;* ἀπο-

πέρα

πέρα vel *πέρα trans, ultra*, &c. Cæterum non eſt diſſimulandum adhiberi quandoque etiam alias adhuc Veterum præpoſitiones apud Græcos hodiernos extra compoſitionem v. gr. *ἀντὶ νάμου δώσῃ ψάρι, μ' ἔδωκε κρέας* i. e. *pro eo, ut mihi daret piſcem, dedit mihi carnem*; *δὲν κάμει ἄλλο παρὰ νὰ διαβάσῃ, nihil facit, præter legere* &c.

§. II. *Inſeparabilibus* Præpoſitionibus accenſentur omnes, quæ Veteribus inſeparabiles erant, v. gr. *α*, ut *ἀσεβίζω impius ſum*, *ἀσυνηθίζω deſueſacio* &c. *Δυς*, ut *δυσκολαίνω difficilis ſum*. Eidem ordini inſeri videas etiam multas præpoſitionum ſeparabilium veterum v. gr. *περὶ, πρὸ, ὑπὲρ, σὺν, ἐπὶ* &c. utpote quarum uſus extra compoſitionem hodie aut rarus eſt, aut nullus.

§. III. Reſtaret, ut de caſibus, quæ præpoſitiones hodiernorum Græcorum regunt, aliquid moneremus: ſed quia hæc propius ad Syntaxin accedunt, hinc de officio præpoſitionum conſtructivo ibi pauca dicturi ſumus.

CAPUT IX.

De

Conjunctionibus & Interjectionibus.

§. I.

DUplex *Conjunctionum*, genus antiqua lingua agnoſcit, *Significativas* & *Expletivas*. Priores in hodierna Græcia vigent, quamvis nec expletivæ deſint.

§. II. Sunt verò Significativæ variorum generum, nempe (1) *Copulativa*, ut *καὶ &* (2) *Adverſativa, ἀμὴ, μὰ ſed, μὲ ὅλα τοῦτα tamen, ἀγκαλὰ καὶ tametſi*, aliquando etiam *δὲ ſed* &c. (3) *Disjunctiva, ἢ vel* (4) *Cauſales, νὰ, διὰ νὰ*, & quandoque

ἵνα, ut,

ἵνα, *ut*, διὰ τὶ vel γιὰ τὶ *Nam*, ἐπεὶ δὰν, ἐπειδὰν καὶ *Quoniam* &c. (5) *Dubitativa*, τάχα *forte*, τάχα νὰ μὴ; *num quid?* Quamvis ſint, qui hanc claſſem adverbiis inſerere malint. (6) *Conditionales*, ἀνίσως καὶ *ſi*, ἀνίσως καὶ μὴ, *niſi*, *quin*, &c. (7) *Illativa*, τὸ λοιπὸν *ergo*, *igitur*; διὰ vel γιὰ τῦτο *propterea* &c.

§. III. *Expletivæ* Conjunctiones (hoc eſt tales, quæ non tam ſignificant aliquid, quàm duntaxat ad ornamentum orationis ſpectant,) in hodierna Græcia ſunt, v. gr. δὰ, νε &c.

§. IV. *Interjectiones* aliàs à Grammaticis Græcis ſæpius Adverbiis annumerantur, quod etiam noſtra pace fieri poteſt. Si quis tamen velit huic particularum generi peculiarem claſſem, more aliarum linguarum aſſignare, non deerunt variæ ſpecies Interjectionum: v. gr. (1) *Vocandi*, ὦ, *o*, ὦ ἔλα, *heus* &c. (2) *Admirandi*, γειά σου *euge*, quaſi diceres, *Sanitatem Tuam!* (3) *Dolendi*, οἰμένα *heu mihi*, & quæ ſunt id genus plura. De Conſtructione Interjectionum agetur Capite ſequente.

CAPUT X.

De *Syntaxi.*

Hoc in capite conſideramus voces, quatenus illæ inter ſe in oratione cohærent. Neque verò omnia promiſcuè, quæ hic notari poſſent, producemus: ſed ea tantum, quæ ab analogia Syntaxeos Græcæ Veterum paulo remotiora videntur.

De Syntaxi Articulorum.

§. I. Articuli apud Græcos nominibus modò præfiguntur, modò omittuntur, vix tamen ita libere, ut planè perinde ſit, ubi velis Articulum ponere, vel omittere. Regulæ loco SIMON POR-

PORTIUS nobis commendavit linguam Gallicam, dicendo, ibi eſſe in Græco etiam ſermone articulum ponendum, vel omittendum, ubi Galli in ſua lingua articulum vel ponunt, vel non ponunt. Quod autem de lingua Gallica dixit Portius, idem de ſua lingua jure intellexerit *Germanus*, itemque *Italus*, quibus æque articuli uſus eſt. Hoc tamen rectè Germanum obſervare juſſit CL. Tribbechovius, quod Græci nullum ponant articulum, ubi Germanus ponit ſuum articulum indefinitum ein. Hinc quando v. gr. Germanicè dicis, wir haben ein groſſes Feſt Græcè dicendum erit ἔχομεν μεγάλην ἑορτὴν, & *Luc. VII, 16.* ὅτι μέγας προφήτης ἐσυκώθη εἰς τὸ γένος μας, Es iſt ein groſſer Prophet unter uns aufgeſtanden. Sicubi autem Germani particulam ein inſtar pronominis indefiniti ponunt, ibi Neo-Græci etiam adhibent nomen ἕνας, μία, ἕνα. Conf. inferius §. VII. Atque idem faciunt *Itali*, qui pronominibus indefinitis ideo accenſent nomen *uno*, vel *un certo*, ad quorum imitationem, ſi quis maluerit, ἕνας, μία, ἕνα, Neo-Græcorum *Pronomen* potius, quàm *Articulum indefinitum* dicere, nos non habebit adverſarios.

De Syntaxi Nominum.

§. II. Adjectivum cum Subſtantivo exactè cohæret apud antiquos, in genere & numero v. gr. σοφὸς ἄνθρωπος. Hanc analogiam quandoque Græcia nova deſerit in ſubſtantivis, quæ materiam ſignificant, dum ea in accuſativum caſum præeunte præpoſitione ἀπὸ, reſolvit, ut ζώνη ἀπὸ πετζὶ pro ζώνη πετζιλική, *Cingulum ex corio*, pro, *cingulum coriaceum.* ῥοῦχο ἀπὸ τρίχαις, pro τρίχινο, *veſtis ex pilis.* Videtur autem in hac circumſcriptione deeſſe participium καμωμένος, η, ον, h. e. *factus, a, um.*

§. III. In compoſitione adjectivi & ſubſtantivi iſtud tenendum eſt, quod ſemper illud huic debeat præmitti, præmiſſo ar-

Digitized by Google

ticulo, ut *τὸ μικρὸ παιδὶ* der kleine Knab. *ὁ πρῶτος ἄνθρωπος* *homo primus* &c. Quod ſi aliquando adjectivum ſubſtantivo fuerit poſtpoſitum, duplicandus venit articulus, adeoque tam adjectivo, quam ſubſtantivo apponi debet, ut *φέρεμου τὸ ροῦχο τὸ κόκκινο*, *Affer mihi veſtem rubram.*

§. IV. Relativum cum antecedente, ſæpius genere & numero tantùm, aliquando tamen etiam caſu, cohæret, ut *εἶδα τὸν πέτρον, τοῦ ὁποίου ἐμίλησα* *Vidi Petrum, quem allocutus ſum*: *τὰ λόγια, τὰ ὁποῖα*, *verba quæ* &c.

§. V. Relativum inter duo ſubſtantiva diverſorum generum, poſitum, duplici ratione exprimi poteſt. *Primò* ita: *τὸ ἄστρον, τὸ ὁποῖον*, vel *ὁποῦ κράζουν αἶγα* i. e. Sidus, quod vocant capram. *Secundò* ſic: *τὸ ἄστρον, ὁποῦ τὸ κράζουν αἶγα.*

§. VI. Subſtantivum cum Subſtantivo junctum, ut apud Latinos & Græcos Antiquiores, ſæpius poſterius per Genitivum reddit, ut *τὸ πετζὶ τοῦ βουδιοῦ* *Pellis Bovis.* Eſt tamen, ubi hic Genitivus in Accuſativum tranſit, ut *ἕνα ποτήρι νέρο* pro *νέρου* i. e. *poculum aquæ*: item *ἡ τιμήτους* *honor illorum.*

§. VII. Eſt & illud Græciæ hodiernæ receptum, ut nomen numerale *ἕνας, μία, ἕνα*, loco articuli aut ſaltem pronominis indefiniti, quandoque more Italorum ponant, v. gr. *Luc. VII. v. 11.* *εἰς μίαν πόλιν* legimus Barbaro-Græcè, cùm textus Græcus dicat, *εἰς πολίν*: & *v. 12.* Barbaro-Græcè dicitur, *ἕνα ἀποθαμμένον*, pro quo Græce *τεθνηκώς. Cap. XVI. v. 1.* *ἕνα οἰκονόμον*, pro veterum nomine *οἰκονόμον. Eod. Cap. XVI. v. 20.* *ἕνας πτωχὸς* *unus Pauper*, vel *Pauper quidam*, Græcè *πτωχὸς τις* &c. Confer §. 1. capitis hujus.

§. VIII. Hodierni Græci non ſolùm in iis nominibus, quæ apud Antiquos genitivum regunt, ſed etiam ubi Antiqui Dativum habent, Genitivum ponere amant. Dicunt enim non modò v. gr. *ἐκεῖνος εἶναι σοφώτερος μου*, *ille eſt me ſapientior*; *ὁ ἱερέας εἶναι ἄξιος τιμῆς*, *Sacerdos eſt dignus honore*; *ἐτοῦτο εἶναι φανερωτικὸν τῆς ἀγάπης*, *hoc eſt indicium amoris*; *ἀμαθὴς τῶν γραμμάτων*

μάτων

μάτων τῶν ἑλληνικῶν, rudis Græcarum literarum &c. Sed etiam, *σύντροφος καλῶν ἀνθρώπων, cum Bonis unà educatus*; item, *ὁμοῖος τοῦ λεοντάριου ſimilis Leoni; τὰ καλλὰ εἶναι κοινὰ φίλων, amicis ſunt bona communia* &c.

IX. Nomina hæc tamen, præcipuè ſi cum nominibus aliis conſtruantur, ſæpius Genitivum in Accuſativum reſolvunt, mediante præpoſitione ἀπὸ, ut ὕστερος ἀπὸ ὅλους, vel *ἀπ' ὅλους, omnium poſtremus.* ἀπὸ ὅλους τοὺς ἕλληνας, ὁποῦ ἦσαν εἰς τὴν Τροίαν, δυνατώτερος vel δυνατώτατος Ἀχιλλεὺς ἦτον h. e. *omnium Græcorum, qui in Trojana Expeditione erant, fortiſſimus fuit Achilles.* Tales periphraſes per præpoſitionem cum ſuo caſu, nec Græciæ antiquæ erant ignotæ. Vid. *Joh.Poſſelii Syntaxis Græca, Regul. XVI. except. II. p. m. 30.* ubi de Syntaxi nominum agit.

§. X. Peculiariter nota de voce γεμάτος i. e. *Plenus*, quod accuſativum regat abſolutè, nec admittat præpoſitionem: v. gr. *γεμάτος ἐννοίας, curarum plenus.* Sic. Rom. I. v.29. dicit Paulus, Gentiles fuiſſe *γεμάτους κάθε λογῆς ἀδικίαν, πορνείαν, πονηρίαν, πλεονεξίαν, κακίαν, γεμάτους φθόνον, φόνον* &c.

§. XI. Ἐναντίος cum nominibus conſtructum accuſativo gaudet, mediante præpoſitione εἰς, ut *ἐναντίος εἰς ὅλους, omnibus contrarius;* ſed cum pronominibus primitivis habet genitivum, ut *ἐναντίος μου contrarius mihi.* φίλος denique nunquam non Genitivum poſcit, ut φίλος Θεοῦ, *Amicus DEI.*

§. XII Nomina, quæ inſtrumentum, cauſam, modum atque exceſſum denotant, apud Græcos hodiernos cum accuſativo & præpoſitione μὲ vel μετὰ, aut etiam interdum διὰ vel γιὰ efferuntur, v. gr. *ἐκτύπησά τον μὲ τὸ ῥαβδὶ percuſſi illum baculo; εἶδά τον μὲ καλὸ μάτι, vidi illum oculo benigno; σκότωσε τὸν ἐχθρόν του μὲ τὸ σπαθὶ* i. e. *interfecit hoſtem ſuum gladio; νικᾷ ὅλους μὲ τὴν φωνήν του, ſuperat omnes voce; διὰ δειλιὰν* vel *γιὰ τὸν φόβον ἔχασε τὰ ἄρματά του, expavore perdidit arma ſua.*

§. XIII. Quæ menſuram locum, aut tempus ſignificant, ſim-

 pliciter

pliciter efferuntur per accuſativum, ut τὴν ἡμέραν καὶ τὴν νύκτα δὲν κάμει ἄλλο, παρὰ νὰ διαβάσῃ, *die ac nocte nihil aliud facit, quàm ut legat.* Ἡ ῥώμη εἶναι μάκρα ἀπὸ τὴν Φράτζαν ἑκατὸν λέγαις *Roma diſtat a Gallia centum leucis.* Βαρεῖ τριάντα λίτραις, *eſt ponderis triginta librarum.*

De Syntaxi Pronominum.

§. XIV. Pronomina monoſyllaba μοῦ, σοῦ, τοῦ, σὲ, μᾶς, σᾶς, τὸν, τὴν, τὸ, τοὺς, τὰς, τὰ, nunquam in ipſo orationis initio collocanda ſunt, ſed elegantius ſemper poſt verbum, aut aliquod nomen ponuntur, vel etiam poſt particulas δὲν, δὲ: ut ἀγαπῶ τα *amo illa;* ἀγαπῶτους *amo illos;* ἐγὼ σᾶς εἶπα, *ego nobis dixi;* δέν μου κάμνει χρεία *non eſt mihi opus;* βλέπειμε *videt me* &c. Si contigerit, ut hæc monoſyllaba cum adjectivo occurrant, locantur inter adjectivum & ſubſtantivum, ut ἀγαπημένε μου ὑιὲ *dilecte mi fili;* ἡ κακαῖς τους γλώσσαις *malæ illorum linguæ;* ὁ πρῶτος μᾶς φίλος *primus noſter amicus.* Monoſyllabi accuſativi με, μᾶς σε, σᾶς, τὸν, τοὺς, tam ante, quàm poſt verbum locum habent, ut Rom. I. v. 11. ἔχω μεγάλην ἀγάπην νὰ σᾶς ἰδῶ, διὰ νὰ σᾶς μεταδόσω τίποτες χάρισμα πνευματικὸν, *habeo magnam dilectionem, ut vos videam & vobis communicem quoppiam donum ſpirituale* &c. Si tamen dicti accuſativi jungantur, particulis δὲν, δὲ, ὡσὰν, σὰν, καθὼς, σήμερον, τώρα & aliis adverbiis loci, ſemper verbo debent præponi, ut, δὲν μᾶς τὸ ἔστειλες τὸ βιβλίον, *non miſiſti nobis librum;* σήμερον σᾶς εἶπα, νὰ μὴν ἐυγαίνετε, *hodie dixi vobis, ne exiretis.* Vitioſè diceres, δὲν τὸ ἔστειλεσμας, aut σήμερον εἶπασας &c.

§. XV. Accuſativi ἐμένα, ἐμᾶς, ἐσένα ἐσᾶς ſemper in ipſo orationis periodique principio ponuntur, cum μὲ & μᾶς, σὲ vel σᾶς; ut ἐμένα μὲ ἀγαπᾶ ὁ πατέρας *me amat Pater;* ἐσένασε μισᾶ *te odio habet;* ἐμᾶς μᾶς κράζει ἐχθροὺς του *nos vocat hoſtes ſuos.* Nominativi tamen ἐμεῖς καὶ ἐσεῖς ponuntur abſolutè

in

in initio periodi, ut ἐμεῖς ψωμὶ δὲν ἔχομεν, καὶ ἡ γάτλα πίτλα σύρνει, *Nos panem non habemus, & felis placentam trahit.* Proverbium eſt in Parentum filios prodigos.

XVI. Pro poſſeſſivis pronominibus reddendis adhibentur ἐδικός μου, ἐδικός σου, ἐδικός του &c. Enimvero ſciendum eſt, quòd (ut *Portius* loquitur) *tunc non ponantur abſolute, ut poſſeſſiva, ſed una cum alio nomine.* Ponuntur autem ex *Portiana* hac phraſi Pronomina poſſeſſiva abſolute, quando in enunciationibus *Prædicatum* conſtituunt. Hinc ſi dicere velis, *Liber meus*, rectè dices, τὸ βιβλίον μου: vel etiam τὸ ἐδικόμου βιβλίο, quemadmodum 1. Corinth. XI. v. 25. εἰς ἐδικήνμου ἀναθύμησιν. Atenim in hac enunciatione, *hic liber eſt meus*, non poteris dicere τοῦτο βιβλίον μοῦ εἶναι, ſed dicendum erit, ἐτοῦτο τὸ βιβλίον εἶναι ἐδικόν μου vel δικόν μου, *Hic liber eſt meus.* Priori enim modô haberes non integram quandam enunciationem: ſiquidem τὸ βιβλίο eſſet *Subjectum*, & pronomen μου etiam referendum veniret ad Subjectum: *Prædicatum* verò ad enunciationis perfectionem requiſitum, omnino deeſſet.

De Syntaxi verborum.

§. XVII. Nominativus præcedit verbum perſonale finitum ſimili numero & perſona, ut ὁ χριστὸς ἐπέθανεν διὰ λόγου μας, *CHRISTUS mortuus eſt pro nobis.* Atque hoc cum Veteribus hodierna lingua commune habet. Imò ne illum quidem Atticiſmum, ubi Nominativus neutrius gen. plur. num. cum verbo ſingulari conſtruitur, Recentiores Græcorum admittunt. Hinc pro eo, quod in Textu authentico *Rom. XII. v. 4.* legimus, τὰ μέλη πάντα οὐ τὴν αὐτὴν ἔχει πρᾶξιν; in Metaphraſi Neo-Græca eſt: ὅλα τὰ μέλη δὲν ἔχουσι τὴν αὐτὴν πρᾶξιν, *omnia membra non habent idem officium* &c.

§. XVIII. Verbum ſubſtantivum εἶμαι, item nuncupandi &c. verba ante & poſt ſe (ut apud Antiquos) nominativum poſcunt, ὁ ἀριστοτέλης ἦτον μέγαλος φιλόσοφος h. e. *Ariſtoteles erat magnus Philoſophus.*

§. XIX. Verba Paſſiva & Paſſivè ſignificantia modò ante & poſt ſe nominativum habent, modò verò poſt ſe *Accuſativum cum præpoſitione* ἀπὸ, v. gr. αὐτόσμου φαίνεται καλοστίχερος ἄνθρωπος, *videtur mihi Vir idoneus.* Δικαιος κρατέιεται μακάριος ἀπ' ὅλους, *Juſtus reputatur ab omnibus beatus.* Ita dicimus τὸ ἁμάξι τραβίζεται ἀπὸ τὰ ἄλογα, *curus trahitur ab equis.*

§. XX. Ex verbis Neutris & Deponentibus quædam abſolutè ponuntur ſine ullo caſu, ut ζιῶ *vivo*, περπατῶ *ambulo*, στέκομαι *ſto*, κοιμοῦμαι *dormio*; Quædam autem poſt ſe caſum requirunt, ut ὁ ἄγγελος Κυρίου ἐφάνη τοῦ Ἰωσήφ, *Matth. II. v. 19.* ἀρέσκει μοι *placet mihi:* τί φαίνεται σᾶς, quid videtur vobis? & alia plura, quæ modò *Genitivum*, modò *Accuſativum*, pro diverſitate regionum Græciæ indicata, poſtulant.

§. XXI. Uti *Dativum* hodierna Græcia in vulgus ferè ignorat; ita quando Dativus Antiquorum exprimendus eſt, variant. In Inſulis enim genitivo magis utuntur, in Continente prævalet accuſativus v. gr. μιλῶ τοῦ Μάρκου, *colloquor cum Marco*, quod etiam ſic exprimunt, μιλῶ μὲ τὸν Μαρκόν. Ἐγὼ εἶπα τοῦ Φραγκίσκου *ego dixi Franciſco.* Ἐγώ σου ἔκαμα τὴν χάριν, dicunt Inſulares Græci; ſed qui in Continente habitant, ἐγώ σε τὴν ἔκαμα χάριν, ſenſu eodem, *ego tibi facio gratiam.* Ita ἐγώ σου ἔδωκα τὸ βιβλίον vel ἐγώ σε ἔδωκα τὸ βιβλίον, *ego tibi dedi librum.* Prius dicunt Inſulares, poſterius Continentis incolæ.

§. XXII. Ubi apud antiquos Dativus exprimit Inſtrumentum, ibi hodierni Græci adhibent accuſativum cum præpoſitione μὲ vel μετὰ, v. gr. μὲ τὴν καρδίαν πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, καὶ μὲ τὸ στόμα ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν h. e. *Corde creditur ad juſtitiam & ore exhibetur confeſſio ad ſalutem.* Rom. X. v. 10. Ad verbum verteres, *cum corde creditur, cum ore editur confeſſio.*

§. XXIII. Activa verba omnia admittunt accuſativos, ut ἀκούω τὰ λόγιά σου, *audio verbum tuum:* ἀκούω τὸν πέτρον, *audio Petrum;* τίς θέλει μᾶς χωρίζει ἀπὸ τὴν ἀγάπην τοῦ χριστοῦ; *Quis*

nos

Digitized by Google

nos ſeparabit ab amore CHRISTI? &c. ἐγκαλῶ i. e. *accuſo* cum ἐναντία conſtruitur: ut *τίς ἠμπορεῖ νὰ ἐγκαλέσει ἐναντία τῶν ἐκλεκτῶν τοῦ Θεοῦ*, *quis accuſabit Electos DEI?* Rom. IIX. v. 33. Γεμίζω i. e. Impleo, talem conſtructionem amat, *γεμίζω τὸ τζουκάλι ἀπὸ τορνέσια Impleo ollam denariis.* Interdum etiam reticetur ἀπὸ & ſimpliciter dicitur v. gr. *γεμίζω τὸ ἀγγεῖον νέρο, impleo vas aqua* &c.

§. XXIII. Quædam etiam, ut apud Latinos & antiquos Græcos, duos accuſativos regunt, ita in hodierna linguā iſtos retinent, ſi Continentis incolas ſpectes: v. gr. *ἐγώ σε μαθαίνω τὴν γραμματικήν, ego doceo te Grammaticam.* In Inſulis verò alterum mutant in Genitivum, *ἐγὼ σοῦ μαθαίνω τὴν φυσικήν, doceo te Phyſicam.* Item aliquando fit, quando verba apud Latinos ablativum cum præpoſitione A vel AB habent, ut, *ἐγὼ σὲ παίρνω τὸ ροῦχο aufero a te veſtem*, &, *ἐγὼ σοῦ παίρνω τὸ ροῦχο*, ſenſu eodem. Quamvis plerumque heic accuſativus obtineat cum addita præpoſitione ἀπὸ, ut *ἐγὼ ἔλαβα ταῖς γραφαῖς σοῦ ἀπὸ τὸν πέτρον, accepi literas tuas a Petro.* Nota: Accuſativus in priori caſu ſervatur, quando Activum in Paſſivum reſolvitur, & ſaltem accuſativus alter, quem perſonæ vocant, mutatur in Nominativum, ut *ἐσὺ μαθαίνεσαι ἀπὸ ἐμένα τὴν γραμματικήν, Tu a me doceris Grammaticam.*

§. XXIV. Infinitivum debent hodierni Græci (niſi quandoque eum, quod quidem rarò fit, mutuo acceperint a veteribus,) hunc in modum exprimere: *θέλεις νὰ μὴν φοβᾶσαι τὴν ἐξουσίαν, κάμε τὸ καλόν. Si non vis timere Magiſtratum; fac quod honeſtum eſt.* Accuſativus cum infinitivo circumſcribitur per ὅτι, πῶς, καὶ &c. ut *ἠξεύρω, πῶς τὸ ἔκαμες, novi, te hoc feciſſe. λογιάζω καὶ τὸ ἔμαθες, puto, te hoc didiciſſe. λέγω, ὅτι τὸ καλὸν εἶναι, dico, hoc eſſe honeſtum.*

§. XXV. Loco Gerundiorum & Supinorum, quibus lingua Græca recentior, non minus atque antiqua caret, adhibetur In-

finitivus, aut etiam participium, ut *ἀγαπῶντας amando*, *λέγοντας dicendo* &c. *καιρὸς εἶναι νὰ κάμω, tempus eſt faciendi.*

§. XXVI. Pro Gerundio in *DUM* neceſſitatem ſignificante adhibent Infinitivum præmiſſo imperſonali verbo *πρέπει* i. e. decet, v. gr. *πρέπει νὰ κάμετε*, *vobis eſt faciendum*. Aliàs Gerundium hoc ita quoque circumſcribunt v. gr. *Ad habendum* διὰ *νὰ ἔχῃ*: *ἀνάμεσα ὁποῦ ἐμίλει*, *inter dicendum*: *σὰν ἐπροπάτουν*, *inter ambulandum*. Adverbum ita verteres: *cùm ille loqueretur: dum ego ambularem* &c.

§. XXVII. Verbum imperſonale duplicis generis eſt: aliud activæ vocis, aliud paſſivæ: Utrumque vel abſolutè ponitur ſine omni caſu, ut *βρέχει pluit*, *λέγεται fertur:* vel cum aliquo caſu, ut *ἐγγίζει μου pertinet ad me*: *δὲν σᾶς πρέπει non licet vobis*: *δὲν ἐννοιάζεται διὰ τὴν ψυχὴν*, *de anima nihil curæ ſuſcipitur*.

§. XXVIII. Imperſonalia verba ut plurimum formantur a tertia plurali Indicativi Activ. Præſent. ut *γράφουν Scribunt*, pro *Scribitur*: *ζοῦναι*, *vivunt*, pro *Vivitur* &c. Quamvis etiam aliquando, deducantur a tertia ſingular. Præſent. Paſſ. ut *κοιμοῦται dormitur*. Aliqua etiam a tertia ſingul. Præſent. Activ. deſcendunt, ut *ἐγγίζει*, *πρέπει*, *βρέχει*, &c.

De Syntaxi Participiorum.

§. XXIX. Participia imitantur ſua verba, unde derivantur. Sæpius tamen apud hodiernos Græcos ita reſolvuntur, *δόξα καὶ τιμὴ καὶ εἰρήνη θέλει ἀκολουθήσει καθε ἕνα ὁποῦ κάμει τὸ καλὸν* h. e. *Gloria & honos & pax ſequuntur omnem, qui operatur honeſtum*, pro, *operantem honeſta*. Ita *Rom. II. v. 21. 22.* *ἐσὺ ὁποῦ διδάσκεις* pro *διδάσκοντας*, *Tu, qui doces*, pro, *Docens*; *ἐσὺ ὁποῦ λέγεις* pro *λέγοντας* &c.

§. XXX. Genitivos Conſequentiæ veterum, quos Latini per duos ablativos exprimunt, hodierna Græcia ita ferè circumſcribit: *ὅταν* vel *σὰν ἐμίσευσα ἀπὸ τὴν ἐκκλησίαν*, *ἔπεσεν ἡ στέγη τοῦ σπιτιοῦ*, *cum diſcederem ex templo*, *cecidit tectum hoſpitii*

ſpitii vel ædium: aut, uſurpant nudum nominativum hoc modo: μισέυγοντας ἐγὼ ἀπὸ τὴν ἐκκλησίαν i. e. *Diſcedente me ex Eccleſia.*

§. XXXI. Circumſcriptioni ſæpius inſervit participium ἔσοντας, ut ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν εἰς ταῖς καρδίαις τοὺς ἔσοντας νὰ συμμαρτηρῇ, *opus legis ſcriptum in cordibus eorum, exſiſtens, ut teſtetur*, pro *teſtans:* ἐτοῦτοι ἔσοντας, νὰ μὴ ἔχουσι νόμον, εἶναι αὐτοὶ νόμος εἰς τοῦ λόγου τους h. e. *Hi exſiſtentes, ut non habeant* (ſive, *non habentes*) *legem, ſunt ipſi lex in verbo eorum* h. e. *ſibi ipſis* &c. ἔσοντας νὰ ἠξεύρω, *exſiſtens ut ſciam* i. e. *ſcio.*

De Syntaxi Adverbiorum & Conjunctionum.

§. XXXII. Ἂν vel ἂν ex antiqua Conjunctione ἐὰν formatum eſt; hinc & ipſum conjunctivum regit. Præfigitur omnibus præteritis, ut ἂν ἔκαμα, *ſi feci*, ἂν ἔγραφε *ſi ſcribebat* &c. item futuro, ut ἂν θέλει δώσει *ſi dabit*. Aliàs amat id tempus, quod habet indifferentem quandam ac indeterminatam ſignificationem, ut ἂν σὲ πιάσω, *ſi te cepero*, non ἂν σε πιάνω, item ἂν σὲ εὑρήσω. Obſervatio hæc eſt *Portii* in Grammat. *fol. 40.* quæ temporibus conjunctivi modi, εὑρήσω, πιάσω manifeſtè & titulum & naturam Aoriſti adſignat, quo aliàs Græci hodierni vulgò carere putantur.

§. XXXIII. Ἄμποτες adverbium eſt optandi, & conjungitur cum νὰ, eumque in verbis conſtituit Modum, qui Optativus dicitur, ceu ſupra in doctrina de verbis aliquoties monitum eſt. Reperitur cum perfecto & imperfecto, ut ἄμποτες νὰ τὸν ἐκράξες, *utinam illum vocaſſes;* ἄμποτες νὰ τὸ ἔβλεψα, *utinam illum viderem.*

§. XXXIV. Ἀνάμεσα, Μέσα Adverbia ſunt, quæ præpoſitionum naturam æmulantur. Significant *Inter, Intra*, & cum pronominibus μοῦ, σοῦ, τοῦ, τῶν, μᾶς, σᾶς, genitivum regunt; ſed cum aliis nominibus conſtructa, accuſativo gaudent cum præpoſitione εἰς, ut: ἀνάμεσα του, *inter illum:* αὐτὸς εἶναι πρωτότοκος ἀνάμεσα εἰς πολλοὺς ἀδελφοὺς; *ipſe eſt primogenitus inter multos fratres:* μέσα εἰς τὴν καρδίαν μου, *in corde meo* &c.

§. XXXV. Ἀποπέρα & πέρα adverbia ſunt, quæ *trans, ultra* &c. ſignificant, atque conſtruuntur cum genitivo, ut ἀποπέρα vel πέρα τȣ̃ ποταμȣ̃ *trans fluvium* &c.

§. XXXVI. Ἂς, adverbium hortandi, ſi cum imperfecto ponatur, efficit modum Optandi, ut ἂς κάμῃ *faciat.* (Videtur autem derivari ab ἄφες, unde per ſyncopen ἂς, quare cum dicimus ἂς ἰδῶ, idem eſt ac *Sine me, ut videam.* Qui quidem loquendi mos occurrit in Sacris paginis, Vid. *Matth. XXVII. v. 49.* ἄφες ἴδωμεν ἢ ἔρχεται ἠλίας σώσων αὐτόν: imitati Græci hodierni dicunt, ἂς ἰδȣ̃μεν, ἂν ἔρχεται ὁ ἠλίας διὰ νὰ ἐλευθερώσῃ, quæ quidem *Portii* cit. loc. obſervatio eſt; quanquam in Metaphraſi Barbaro-Græca Kalliupolitæ legatur, ἀφῆτε νὰ ἰδȣ̃μεν, non verò ἂς ἰδȣ̃μεν.) Adverte tamen, hujuſmodi ἂς non poni in ſecunda Perſona Imperativi, ſed tantum in tertiis & prima; quia videlicet aptior perſona imperandi videtur ſecunda, quàm prima aut tertia. Unde *Itali* cùm Magnates, imo & alios alloqvuntur, ſolent obſequii aut honoris conteſtandi cauſa tertia perſona uti, ne ſecundâ perſonâ loquentes videantur aliquo modo illis imperare. Idem hodie inter *Germanos* quoque uſu receptum eſt. Dixeris ergo, noſtra pace, ἂς, quia primæ & tertiis perſonis apud Græcos hodiernos tantùm præfigitur, potius notam Subjunctivi, quàm Imperativi eſſe. Sed hæc obiter.

§. XXXVII. Δὲ vel δὲν particulæ ſunt, procul dubio ex ȣ̓δὲ & ȣ̓δὲν, ablata diphthongo ȣ, efformatæ. Regunt tantùm Indicativum: nam in aliis modis adhibemus particulam μὴν, ut, μὴν κάμῃς; *ne facias.* Notetur autem δὲν dici, cum ponitur ante vocales vel diphthongos; imo & ante has conſonas, β, γ, δ, θ, π, τ, φ, χ: δὲ verò locum habere ante conſonas reliquas ut, τὴν ἁμαρτίαν δὲν τὴν ἐγνώριζα παρὰ, διὰ μέσȣ τȣ̃ νόμȣ, *peccatum non agnoſcebam, niſi per legem.* ὅταν ἄνθρωπος δὲν ἠξεύρει τὸν νόμον, δὲν ἠξεύρει πῶς ἡμαρτε, *quando homo neſcit legem, ignorat ſe peccare* &c. δὲ λαχαίνει *non accidit*, δὲ ψωματεύγω *non mentior.*

§. XXXVIII.

§. XXXVIII. Δίχως *ſine*, *abſque* ſignificat, & regit Accuſativum cum nominibus poſitum, ut *δίχως ἄσπρα, abſque pecunia* &c.

§. XXXIX. Ε'ναντίον *contra*, cum pronominibus (:primitivis præcipuè) regit Genitivum ; cum nominibus accuſativum cum præpoſitione, ut *ἐναντίον εἰς τὸν ὐρανὸν, contra cœlum*, *ἐναντίον μυ contra me &c.*

§. XL. Ε'ξω & ὄξω adverbia ſunt, atque conſtruuntur dupliciter, *vel* abſolutè cum accuſativo, ut *ὄξω τὰ μάτιάσυ, extra ſint oculi tui!* quæ imprecandi formula eſt: *vel* cum præpoſitione, ἀπὸ, ut *ἔξω ἀπὸ τοῦτο ἔχω κάθε πρᾶγμα, extra id, omnia habeo*, ſive, *præter hoc mihi cuncta reliqua adſunt* &c.

§. XLI. Ε'πάνω *ſuper*, *ſupra* notat. Eſt adverbium, quod præpoſitionis naturam æmulatur : conſtruitur cum Genitivo ante pronomina; at ante nomina alia, habet accuſativum cum propoſitione, ut *ἐπάνω εἰς τὸ κεφαλίτυ, ſupra caput ſuum* &c.

§. XLII. Κοντὰ vid. infra in *σιμά*: Κρυφὰ verò vel *χωστᾶ* adverbia ſunt, quæ notant *Clam*, reguntque cum pronominibus poſita, Genitivum; cum reliquis verò Accuſativum cum præpoſitione ἀπὸ, ut *χωστᾶ μυ clam me*; *ἐπῆρα τὸ κρυφὰ ἀπὸ τὺς ἄλλυς, accepi clam ab aliis* &c.

§. XLIII. Μακρὰ adverbium cum pronominibus gaudet Genitivo, *μακρά μυ, procul a me*: aliàs accuſativum poſcit, ut *μακρὰ ἀπὸ τὰ μάτιάμυ, procul ab oculis meis.*

§. XLIV. Μπροστὰ, ὀμπρῶς, ὀμπροστὰ regunt genitivum cum pronominibus, ut *ὀμπρῶς συ, ante te*: cum reliquis nominibus, accuſativum amant, adjecta præpoſitione εἰς, ut *μπροστὰ εἰς τὸν Θεὸν, ante DEUM*; *μπροστὰ εἰς κόσμον ante mundum*; *ὀμπρῶς εἰς τὰ μάτιάμυ, ante oculos meos* &c.

§. XLV. Νὰ particula eſt, & aliquando vicem gerit *adverbii demonſtrationis*, regitque cum pronominibus ſingul. Genitivum, ut *νάσυ ecce tibi.* Cum pluralibus Accuſativo gaudet,

 να-

νασᾶς ecce vobis &c. Ita ante nomina alia, ut *νὰ τ̃ πέτρον ecce Petrum*! Aliquando eſt *conjunctio cauſalis*, ab antiqua conjunctione ἵνα, deducta, & ſubjunctivum amat. Nonnunquam & *particula expletiva* & ſaltem ornatus cauſa adhibetur, maximè apud Chios, qui dicunt ἐκεινὰ pro ἐκεῖ, τȣ̃τονὰ pro τȣ̃τον, & aliquando reduplicatione additâ, ἐκεκεινὰ, τȣ̃τονονὰ &c.

§. XLVI Νε ſimiliter expletiva particula eſt apud Chios valdè recepta in Articulis cumprimis & pronominibus, tam maſculinis, quàm fœminis, quæ in ν exeunt, nec non in prima, ſecunda ac tertia plurali Verborum; ut pro εἶδα τὴν dicunt εἶδατηνε, τȣ̃τονε pro τȣ̃τον, τȣ́τωνωνε pro τȣ́των, γράφομενε pro γράφομεν, λεγέτενε pro λέγετε &c.

§. XLVII. Ὀμπροσὰ, ὀμπρῶς vide ſupra in μπροσὰ.

§. XLVIII. Ὅταν quoque aliquando apud Græcos hodiernos reperitur v. gr. Rom. VII. v. 9. ὅταν ἄνθρωπος δὲν ἠξεύρει τ̃ νόμον, *quando homo neſcit legem*; ὅταν ἐμίσευγα ἀπὸ τὸ σπιτὶ μȣ, *cum irem ex domo mea;* ὅταν ἐπεριπάτȣν, *cùm ego ambularem* &c. Regit Indicativum & Conjunctivum, utpote quos modos Neo-Græci ſæpius confundunt.

§. XLIX. Ὅτι, *quòd*, particula conjunctionalis veterum eſt, quam videas ſæpe quoque a Barbaro-Græcis adhiberi, v. gr. ὅτι σȣ ἔγραψα, *quòd tibi ſcripſerim* &c. Reddunt hanc formulam quoque hoc modo: διὰ νὰ σȣ̃ ἔγραψα, vel τὸ νὰ σȣ̃ ἔγραψα. Sic Dionyſius Barbarè in teſtimonio ſuo ita loquitur, quando pro Monaſterio Iberorum & ejus incolis intercedit: δέομαι σας, ποιήσεται ἐλεημοσύνην, ὅτι ἔχουσιν πολλᾶς θλίψις καὶ στενοχορίαις. i. e. *rogo vos, largimini eleemoſynam, quoniam habent multas tribulationes & afflictiones* &c.

§. L. Πρὶν νὰ *Antequam* notat, ac ponitur cum ſubjunctivo, ut πρὶν νὰ κάμω *antequam faciam* &c.

§. LI. Σὰ, σὰν vide infra in dictione ὡσὰν.

§. LII. Σιμὰ & Κοντὰ Adverbia ſunt, quæ cum pronominibus Genitivo

Genitivo gaudent, ut *κοντάσυ, σιμάμυ, apud te, apud me*; ſed cum nominibus habent accuſativum mediante præpoſitione εἰς, ut *κοντὰ εἰς τὺς παλαίυς, apud Priſcos*. Quandoque Craſis invenitur hoc modo: *σιμὰ ϛὸν κάμπον, prope campum; κοντὰ ϛὴν πόρταν, apud portam, σιμὰ ϛὰν πόλιν prope urbem*, pro εἰς τὴν πόλιν.

§. LIII. Τριγύρυ ſimiliter genitivum regit cum pronominibus indicatis, μυ, συ, τυ &c. ut *τριγύρυ μυ, circa me*: Sed cum nominibus conſtructum regit accuſativum, intercedente præpoſitione εἰς, ut *τριγύρυ εἰς τὴν χώραν, circa regionem* &c.

§. LIV. Ὕϛερα cum nominibus ſi ponatur, amat accuſativum, mediante præpoſitione ἀπὸ, ut *ἦλθα ὕϛερα ἀπ' ὅλυς, poſtremus omnium veni*: ſed cum pronominibus habet genitivum, ut *ὑϛεράσυ poſt te*.

§. LV. Χωρὶς h. e. *ſine, abſque*, cum nominibus amat accuſativum, ut *χωρὶς ἐλπίδα* ſine ſpe, *χωρὶς ἄλλο* absque dubio. *Rom. VIII. v. 9.* Χωρὶς τ̃ νόμον ἡ ἁμαρτία ἦτον νεκρὴ, καὶ ἐγὼ ἕνα καιρὸν χωρὶς τὸν νόμον ἔζων: h. e. *Sine lege peccatum erat mortuum, & ad tempus ſine lege vivebam.*

§. LVI. Χωϛᾶ. Confer §. XLII. in dictione κρυφᾶ.

§. LVII. Ὡς adverbium eſt, ac notat *Uſque*, ut *ἡ φωνήσυ ἔσωσεν ὡς τ̃ υρανὸν, clamor tuus usque ad cælum pervenit.* Videtur hæc vocula corrupta ex ἕως: atque regit accuſativum caſum.

§. LVIII. Ὡϛὰν, vel σὰν, aut σὰ particulæ ſunt, quæ ſignificant, *dum, cùm, poſtquam* &c. atque poſtulant Conjunctivum ut, *σὰν γράψῃς, cùm ſcripſeris*; *σὰν ἔλθω, poſtquam venero.*

§. LIX. Si quæ porro ſunt alia, iſta aut conſentiunt cum antiquo idiomate Græco, aut facilè a quovis ex illis, quæ hactenus dicta ſunt, dijudicabuntur. Pro ſpeciminis noſtri ratione, hæc adduxiſſe ſufficiat.

De

De Syntaxi Præpoſitionum.

§. LX. De Præpoſitionum Neo-Græcarum ſeparabilium numero incerto jam actum eſt capite IIX. §. I. Etſi enim vulgò non niſi octo ſeparabiles præpoſitiones numerentur; plures tamen reperiri in monumentis Neo-Græcis aliquot exemplis ibidem comprobatum eſt, quibus nunc addimus præpoſitionem ὑπὸ, quam ipſe adhibuit Metaphraſtes in nota ad *Rom. VII. v. 9.* ubi eandem cum genitivo more veterum ponit; dicit enim ὑπὸ συνειδότος &c. Sed hæc linguæ veteris veſtigia mittamus, pauca, quæ in hodierna Græcia magis recepta & ab analogia idiomatis antiqui remotiora videntur, adhuc annotaturi.

§. LXI. Ἀπὸ, διὰ, γιὰ, κατὰ, μὲ, μετὰ, πρὸς, εἰς, ſunt præpoſitiones apud Græcos maximè uſitatæ, ac omnes, ſi uſum vulgarem, ad quem nos hîc præcipuè oculum reflectimus, ſpectes, accuſativum regunt, ut ἀπὸ τὸν Θεὸν ἔρχονται ὅλα τὰ καλὰ, a DEO *omnia bona ſunt*; εἰς τὴν καρδίαν, *in corde*; μὲ πολλοὺς *cum multis*; πρὸς ἐμένα *ad me*; γιὰ τὰ τορνέσια γίνεται κάθε πρᾶγμα, *Pecunia eſt nervus rerum gerendarum*, vel aliis verbis; *Propter pecuniam omnina fiunt.* ἔκαμες κατὰ τὴν γνώμην μου, *feciſti ſecundum meam opinionem* &c.

§. LXII. Exceptioni tamen etiam hic quandoque dant lobum quædam veteris Linguæ veſtigia notabiliora. Ita v. gr. Metaphraſtes Rom. XII. v. 3. διὰ cum genitivo conſtruit: Dicit enim λέγω διὰ τῆς χάριτος, ὅπου μου ἐδόθη h. e *dico per gratiam, quæ mihi data eſt*. Imò, quod maximè mireris; Athanaſius ille Archimandrita in Epiſtola ad Sum̃e Rev. Dn. D. *Olearium*, ſæpius citata, præpoſitionem εἰς cum Dativo veterum, planè contra naturam & genium linguæ utriusque Græcæ conſtruere auſus eſt, quando ita ſubſcribit: εἰς ἔτει (pro ἔτει) ἀπὸ χριστοῦ

ἐν

α. χ ο γ. h. e. *Anno a Chriſti* (nativitate) *1673.* Scil. *εἰς* pro ἐν more Neo-Græco poſuit, & poſtea per Barbariſmum retinuit Dativum, qui in lingua veteri cum præpoſitione ἐν, nullo modo autem cum dictione *εἰς* jungi conſvevit.

§. LXIII. Adhibentur etiam quandoque periphraſes huic linguæ admodum familiares, per Genitivos *λόγου* & *μέσου*, qui ſervilem quandam notionem induunt, v. gr. διὰ τοῦ λόγου σᾶς *propter vos* &c. Vide Cap. V. §. V. ubi de hac periphraſi plura. Quòd verò ad alterum Genitivum *μέσου* attinet, ille nunc paucis exemplis venit illuſtrandus. Sic autem legimus *Rom. IV. v. 13*: ὄχι διὰ μέσου τοῦ νόμου ἦτον τὸ τάξιμον h. e. *non per legem facta eſt promiſſio. Cap. I. v. 2.* τὸ ὁποῖον τὸ ἔταξε πρότερα ὁ θεὸς διὰ μέσου τῶν προφητῶν, *quod pollicitus erat prius DEUS per Prophetas. v. 8.* εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου διὰ μέσου τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *gratias ago DEO meo per JESUM CHRISTUM.* διὰ μέσου τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως *per Juſtitiam fidei*: Ad literam redderes, *per medium legis, per medium Prophetarum, per medium JESU CHRISTI, per medium Juſtitiæ* &c.

§. LXIV. Genitivi pronominum *μου*, *σοῦ*, τοῦ, τῶν &c. ſæpius dictis junguntur præpoſitionibus, quæ aliàs uti monitum eſt, §. LXI. accuſativum regunt, ut μετά σου *tecum*, ἀπ᾽ αὐτῶν *ab illis* &c. Sæpius tamen addi videas Genitivos *λόγου* & *μέσου*, de quibus §. præcedente.

De Syntaxi interjectionum.

§. LXV. Interjectio ὄχου Accuſativum poſcit. Οἰμένα, *heu mihi*, eundem caſum amat, ut οἰμένα τὸν κακόμοιρον, *heu me infelicem.* Compoſita eſt hæc interjectio ex οἰ & ἐμένα, Accuſativo ſingul. pronominis ἐγώ.

L §. LXVI.

